

Sc. 28.

IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNI

ANTECESSOR. LIPSIENS

DE

FEVDO FIDVCIARIO
DIATRIBA

ACCEDIT

IOSEPHI AVRELII DE JANVARIO

ICTI NEAPOLITANI

DE

IVRE FEVDALI
ORATIO



LIPSIAE

apud IO. CAR. MÜLLERVUM

MDCCLXXVII

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE



De feudo fiduciario exposituri
haud prosector veremur, ne quis
aut in re inutili nos occupatos
suisse criminetur, aut vetus il-
lud *dis οράματι θάνατος* in animo habens cum
IVVENALE VII. 154.

Occidit miseris crambē repetita magistros
iure nobis occinat. Ut enim nihil iam dicamus de huius argumenti utilitate, quippe quae perlecto hocce libello, nobis etiam haud momentibus, per se ipsa cuilibet incurret in oculos, quis quaeso illud non dicam ita exhaustit, ut nobis spicilegium haud superfit, sed ita saltem attigit, ut vel mediocriter ei satisfaceret? Quotquot equidem ea de re iuris feudalis consului interpres, ii aut feendum fiduciarium

plane silentio praeteriere, aut ita saltem in
hoc argumento versati sunt, ut multa dubia,
difficultates multas relinquerent. Ipse sane
I o. SCHILTERVS in *Commentar. ad Iūs Feud.*
Alemann. p. 275. et si facile aliis omnibus pal-
mam praeripiens plus semel tamen ea in re
lapsus est, I o. I A C. M A S C O V I V S autem,
cum in *Lib. de iur. feud.* Cap. III. §. 9. Co-
mitatum Astensem A M A D E O, Sabaudiae Co-
miti, ab Imp. H E N R I C O VII. in feudum da-
tum, tamquam exemplum feudi pignoratitii
adferret, fiduciarium feudum cum pignoratio
confudit, et vel suo exemplo, haud omnia,
quae magni auctores dixerunt, vtique perfecta
esse, testatum fecit. Quae cum ita sint, ne-
mo, speramus, nos reprehendet, quod feudi
naturam fiduciarii paullo accuratius inuestigare
animum induxerimus, ante oculos scilicet ha-
bentes illud CICERONIS de *Orat.* I. 39. *Le-*
gendi poëtae, cognoscenda historia, omnium bo-
narum artium scriptores ac doctores et legendi
et peruvolutandi, et exercitationis causa lau-
dandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi,
refellendi, disputandumque de omni re in con-
trarias partes, et quidquid erit in quaue re,
quod

quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum.

Antequam autem rem ipsam adgrediamur, iuuabit, ni fallor, locos e iure feudali Alemannico, itemque Saxonico principes, vbi indoles feudi fiduciarii declaratur, adscribere. Ita scilicet habet *Ius Feud. Alemann. Cap. 97.*

Der Lehn uf Gut leibet

§. 1. Wurd einem Man gut gelichen usse sine truwe, das es der Herre lösen mag umbe ein gut, wie su denne gedingt hant uff einen bescheiden tag, der mag das gut lösen, ob er wil, er mag es auch losszen och mit rechte wenne da ist nüt rechtes by.

§. 2. Stirbet der Man one lehenserben, das gut wurd dem Herren ledig ohne schaden und finen erben ist er nüt schuldig zu gende. Wil der Herre, er behaltet sine truwe darane, und löset es umb die erben. Das mag er tun oder nüt, und bricht damit nüt seine truwe. Das ist davon das echt lehen ritterlichen lehen sol sin und nüt anders.

A 3

§. 3.

§. 3. Und ist das der Herre stirbt, der das gut also gelichen hett, sine erben mögent das gut lihen, ob su wellent.

§. 4. Und ist ein geystlicher Furste, der gut also lihet, als hievor gesprochen ist, alle sine nachkommen haant dasselbe recht als hievor gesprochen ist.

Hoc ita verit I. SCHILTERVS l.c. p. 46.

De feudo fiduciario

§. 1. *Si vasallus inuestitur de feudo sub fiducia reliundi a Domino pro certa re tempore constituto, prout conuentum fuerit, Dominus reliuere potest et non reliuere, nec enim iuris res est, sed merae facultatis.* §. 2. *Mortuo vero vasallo sine heredibus feudalibus, feendum aperiatur Domino sine damno, nec quicquam heredibus (allodialibus) eius soluere tenetur. Si vero Dominus manu[m] fiduciam in feudo retinere, redimere id posse tenetur^{a)} ab heredibus. Virum-*
que

a) Vertere debebat SCHILTERVS non tenetur sed potest, vt̄i appetet ex verbis subsequentibus: das mag er tun oder nüt, rel.

*que et facere potest et omittere, neque enim iuri
reluendi praescribitur. Atque hoc propterea,
quod feudum debet simpliciter et pure, non vero
alia tali ratione et conditione constitui. §. 3.
Mortuo porro Domino, qui feudum iure fidu-
ciae concessit, heredes eius inuestituram renouare
poterunt, si volunt: Secus, possunt inuestituram
denegare. §. 4. Si Princeps Ecclesiasticus feu-
dum hoc modo concessit, ut antea dictum, omnes
eius successores eodem iure gaudent, quod antea
expositum.*

His adiungimus *iuris feudalis Saxonici*
Cap. 57. Wirt eime manne gut gelihen uf
sine truwe, das er ez wider usflaze, wenne ez
sin herre losz zu bescheidener Zit, Daz gut
mac der losen, abher wil, und mac es lazzen.
Stirbet auch der man ane lenerben, daz gut
wird deme herren ledic, und der herre en ist
nicht phlichtic zu gebene ienes erben di lo-
sunge des gutes. Dem ein gut alsus gelihen
wirt usse sine truwe brechen und versagen
daz erz nicht lazzen sulle da muz her woł sin
unschuld vor ton man en muge in des verzu-
gen daz erz binnen lenrechte gelobet habe.

A 4

Alle

Alle Schuldigunge die an gewette geht und
binnen lenrechte geschiet, mac der herre zu-
gen usse den man mit zwen sinen mannern.
Da aber ein man sin len verlisen mac daz muz
der herre gezugen selbe libende finer manne.
Doch zuget der herre mit zwen sinen mannern
einen tegeding dar sin man sin gut bi verlusset
ab erz gutes finnet oder uz zuhet und ime
darumme geteidinget wirt und her da nicht
en kunt. Gut daz deme manne geligen wirt
usse fine truwe da mac her lenrecht mite tun
und erbet ez uf fine sone und die en durfen
ez nicht uflazen deme herren ume losunge
sie en haben ez denn selbe gelobt.

*Quod ita latine extulit Polonus b) (iur. feud.
Sax. latin. Cap. 29.)*

De feudo super fidem collato

*§. 1. Super fidem suam si feudum alicui con-
feratur, ita quod domino ipsum liceat redimere
in*

b) *Polonus enim fuisse, qui Ins Feud. Sax. in lin-
guam latinam translulerunt, post alios docuit
SENKENBERGIVS in Praef. ad Corp. Iur.
Feud. Germ. §. 28.*

in termino certo, hoc potest dominus redimere, si placet, aut non. §. 2. Si moriatur ille, dictum feudum vacat domino, nec tenetur dominus heredibus illius solutionem conferre pro feudo sic collato. Si fidem infringere voluerit taliter infeudatus, negans quod ipsum feudum ab eo possit absoluī, hoc oportet iuramento proprio affirmare, nisi conuinci valeat per testes, quod hoc sit promissum in iudicio feudali. §. 3. Omnem inculpationem super poena, quae continet in iudicio feudali, potest dominus probare aduersus vasallum duobus sibi testibus coniunctis suis etiam vasallis. Si talis sit causa, qua feendum possit omittere vasallus, hanc oportet dominum sibi et sex adiunctis suis vasallis iuramento probare. §. 4. Vasallus potest alteri conferre feendum, quod sibi in fide sua colatum est, potest etiam in filios heredare, nec oportet ipsos hoc restituere redemptori, nisi hoc promiserit resignare.

Cum autem, ut bene monet **CICERO**, omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat a definitione proficiendi, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur,

A 5 neceſ-

necessarium ducimus, ante omnia iustum feudi fiduciarii definitionem, qua possit ab aliis omnibus feudorum speciebus distingui, expeditare. SCHILTERVS l. c. p. 275. scribit, *feudum fiduciarium recte dici poterit, quod ita datum et concessum per inuestituram, ut statuto tempore pro certa summa vel alia re feendum et utile dominium domino restituatur.* Vereor autem, vt haec omnia recte se habeant, properea quod, vt bene praecipiunt dialectici, nihil ad essentiam alicuius rei referendum est, quod salua eius natura et adesse potest et deficere, verba autem *statuto tempore* nec non *pro certa summa vel alia re*, quemadmodum ex infra dicendis patebit, ad essentiam feudi fiduciarii necessario haud pertinent, sed abesse absque periculo illud amittendi possunt. Paullo rectius igitur NIC. HIER. GUNDLINGIVS in *exercitat. de iure oppignorati territorii* c) §. 89. *feudum, inquit, fiduciae restitui interdum debet pro certa summa, vel alia quadam re concessa, etiamsi nullum creditum aut mutuum*

c) Quae legitur in GUNDLINGII *Exercitat. Acad.*
quas cum praefat. HALAE 1736. edidit I. G. HER-
NECCIVS, p. 31.

mutuum anteceſſit. Cum autem nec haec verba iustae definitionis partes expleant, nobis quidem rem, qua de agimus, ita describere licebit, vt scilicet sit *feudum ea lege vasallo con-cessum, vt idem domino repetenti aut certo tem-*
pore, aut quandocunque ipsi placuerit, seu gra-
tis, seu pro certa pecuniae summa, aliaue re,
prout conuentum fuerit, restituatur. Neque aliud mihi persuadet textus *iuris feudalis Ale-*
mannici: Wurd einem Man gut gelichen usse
fine truwe, das es der Herre lösen mag umbe
ein gut, wie su denne gedingt hant usf einen
bescheiden tag, rel. Etsi enim inibi tantum-
modo de feudo, pro certa re et constituto
tempore restituendo, sermo est, nequaquam
tamen putandum, hanc speciem alias, qua-
rum in definitione supra posita mentionem
fecimus, excludere. Notissima res est, rarissi-
me iustas in legibus reperiri definitiones, ne-
que aut a legumlatoribus, aut iis, qui leges
scribunt colliguntue, vt omnia secundum dia-
lectices regulas exprimant, expectandum. Ego
vero nihil plane obſtare video, quominus feu-
dum ita etiam constitui possit, vt domino,
quandocunque ipsi libuerit, et gratuito a Va-
ſallo

fallo eiusue heredibus restituatur. Addicunt
praeterea huic sententiae verba *iur. feud. Alemann.* Wie su denne gedingt, i. e. *prout con-*
ventum fuerit, eandemque ex parte saltem
confirmat exemplum feudi fiduciarii infra a
nobis commemorandum. Quod ad verba,
quibus hoc feudum exprimitur, attinet, ve-
tus Germanorum formula est: einem ein Guth
leihen auf seine Treue, quae quidem non mo-
do in *Iur. Feud. Alemann.* sed *Saxonico* etiam
reperitur. Latine feudum fiduciarium, idque
haud inconcinne, dicere placuit. IAC. GABR.
WOLFIUS in *Elem. Iur. Feud.* p. 413, scribit,
nomen sumtum esse ex iure Romano ab here-
de fiduciario, qui, ut notissimum est, fidei-
commissario restituere hereditatem tenetur,
l. 46. et l. 67. D. ad SC. Trebellian. Quia in
re equidem WOLFIO omni ex parte stipu-
lari haud possum, quippe qui scio, latissime
patere fiduciae formulam, pluresque occurrere
apud scriptores Romanos res, magis, quam
heres fiduciarius est, huic feudo nostro similes,
Sic fiduciarium regnum dixit HIRTIVS de
bell. Alexandr. cap. 23. imperium fiduciarium
CVRTIVS V. 9. LIVIVS autem XXXII. 38.
scribit:

scribit: *Philippus cum acie decernendum vide-ret, et vnde ad se contrahendas vires, ma-xime de Achiae urbibus, regionis abs se diuer-sae, et magis tamen de Argis, quam de Corin-tho sollicitus, optimum ratus Nabidi eam La-cedaemoniorum tyranno velut fiduciariam dare, vt victori sibi restitueret: si quid aduersi acci-disset, ipse haberet d).* Sciens iam praetereo patrem fiduciarium, cui in emancipatione ea lege mancipabatur filius, vt eum remancipa-ret, (*CAIUS Inst. I. 6. 3.*) seruum fiduciarium, sc. fiduciae lege in pignoris causam mancipatum, (*PAVL LI Rec. Sent. II. 13. 2.*) tutorem fiduciarium, de quo *VLPIANVS Fragm. XI. 5.* et *IUSTINIANVS* in §. vn. I. de fiduc. tut. Magis enim huc pertinere mihi videtur *pactum* illud fiduciae, de quo post *RAEVARDVM Oper. Tom. II. p. 862.* binis dissertationibus ele-ganter exposuit *FRANC. CAR. CONRADI*, *Helmslad. 1732. et 1733.* Fuit autem fiducia *pactum*

d) Simile quid occurrit apud *PAVL. WARNE-FRIDVM de gestis Longobard. II. 7.* *Alboinus Pannoniam amicis suis Hunnis contribuit, eo sci-lacet ordine, ut si quo tempore Longobardis necesse esset reuerti, sua rursus arua repeterent.*

pactum accessorium, quo res alicui ob rationem aliquam singularem ea lege mancipabatur, ut mancipanti eam remancipet, eiusque usum cum iure gentium cognitum, tum iure ciuili apud Romanos, e. g. in emancipatione liborum, tutela parentum fiduciaria, testamento per aes et libram, mancipationibus venditionis causa sub lege reuendendi factis, locatione conductione, deposito, pignore, nec non cessione in iure, frequentissimum fuisse, satis CONRADI l. c. docuit. De fiducia, pro pignore mancipato dicta, ita ISIDORVS Orig. V. 25. *Pignus est, quod propter rem creditam obligatur, cuius rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor, ceterum dominium penes debitorem est. Fiducia est, cum res aliqua, sumenda mutuae pecuniae gratia, vel mancipatur, vel in iure ceditur.* Pacfi autem fiduciae, venditioni adiecti, elegans exemplum legimus in l. 2. C. de pac*f. int. emt. et vend.* vbi ita Imp. ALEXANDER rescribit CHARISIO: *Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, ut siue ipsi, siue heredes eorum emtori pretium quandcumque, vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, teque parato satisfacere condi-*

conditioni dictae, heres emtoris non paret, ut contractus fides seruetur, actio praescriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum, quae post oblatam ex pacto quantitatem ex eo fundo ad aduersarium peruererunt. Et generatim in *Gloss. P A L A E M O N I S* fiduciarius dicitur, qui rem aliquam fiduciae accepit. Plura in hanc rem dabit PHILIP. VICAT in *Vocabular. iuris vtriusque T. II. p. 26.* Quae cum ita sint, nullum profecto verbum, quod huic, in qua exponenda cum maxime versamur, feudi speciei magis conueniret, quam haec ipsa a fiducia petita appellatio, excogitari ab interpretibus potuisset.

Quod ad originem feudi fiduciarii attinet, facile intelligitur, tunc demum illud inualuisse, postquam libera feudorum reuocatio, domino directo olim permissa, desit. *Antiquissimo* enim tempore (verba legis textus *I. F. 1.*) sic erat in dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum a se datam ^{e)}: postea vero eo ventum est, ut per annum

e) Feuda olim pro arbitrio seniorum vasallis adimi potuisse, obseruauit etiam HENR. a Ro-

SEN-

num tantum firmitatem haberent, deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis produceretur; sed cum hoc iure successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, ut ad filios deueniret, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare: quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes aequaliter veniat. Cum vero Conradus Romanus proficeretur, petitum est a fidelibus, qui in eius erant seruitio, ut lege ab eo promulgata hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, et ut frater fratri sine legitimo herede defuncto, vel filius in beneficio, quod eorum patris fuit, succedat^{f)}. Lex CONRADI, cuius hic mentio iniicitur, eiusdem est Constitutione de beneficiis, ubi inter alia Imperator: Praecipimus etiam, inquit, ut, si aliquis miles, siue de maioribus, siue de minoribus, de hoc seculo migrauerit, filios eius beneficium tenere. Si vero filios non habuerit, et auiaiticum ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat,

SENTHAL in *Tract. et Synops. Iur. Feud.*
Cap. X. Concl. u.

f) Ad quem textum vid. quae notauit C A S P.
B I T S C H I V S in *Commentar. in Consuetud. Feud.*
p. 26. seq.

babeat, seruato vsu maiorum valuatorum in dan-
dis equis et armis suis senioribus. Si vero
forte auiaticum ex filio non reliquerit, sed fra-
trem legitimum ex parte patris, et si seniorem
offensum habuerit, si ei vult satisfacere, et mi-
les eius esse, beneficium, quod patris sui fuit,
babeat. Introducta igitur feudorum perpe-
tuitate cum domino directo ex praescripto re-
gulae haud amplius liceret feudum vasallo sine
iusta causa adimere, ipsa sane necessitas domi-
nos, libera reuocandi facultate gaudere cu-
pientes, coegit, vt feudum concedentes pacto
adiecto eius reuocandi ius sibi reseruarent.

Atque hinc facile erit iudicatu, feudum
fiduciarium propriisne an impropriis adnume-
randum sit. Lubens quidem adstipulor
GOTL. SAM. TREVERO in *Paedia iur. feud.*
vniuersal. §. 14. perpetuitatem feudi ad essen-
tiam illius haudquam pertinere contendenti.
Enimuero cum natura feudorum ho-
die ita comparata sit, vt, nisi aliud placuerit,
aut felonie interuenerit, perpetuo apud vasal-
lum eiusque heredes masculos maneant, cum-
que feuda, quibus omnia naturalia insunt,

B

pro-

propria, ea contra, in quibus aliquid ex naturalibus deficit, aut immutatum est, improaria vocare soleamus, luce meridiana clarius patet, feudum fiduciarium nequaquam in propriis, sed impropriis potius numerandum esse, ita tamen, ut, quemadmodum quilibet nobis etiam haud monentibus ipse sua sponte intellicet, in reliquis attributis omnibus, pacto aliae ratione haud mutatis, communem feudorum naturam retineat. Cum porro fieri possit, ut eiusmodi beneficium mortuo vasallo, dominoque illud nondum repetente, ad heredes feudales iure successionis transeat, nemo non intelligit, cum nouum, tum vetus interdum esse huiusmodi feudum posse, adeo, ut merito hoc, nouumne scilicet sit, an antiquum, inter eas qualitates, quas accidentalia feudi vocant interpretes, referendum esse videatur.

His ita constitutis in diffcili haud possum erit, fiduciarium feendum ab aliis speciebus ei vicinis distinguere. Quo loco mirari subit, ipsum I. o. SCHILTERVM illud cum feudo, quod vocant, reddibili ita confusisse, ut utriusque eandem naturam esse contend-

ret.

ret. Scribit enim *I. c. p. 275.* In Testamento Caroli Ducis Lotharingiae de ann. 1424. castellum de Bullenstein tale feudum habetur, et Rendouble et Receptauble au Duc appellatur, ut est apud Du Fresne in *Gloss.* qui etiam ex Tabulis an. 1340. allegat: Concessit in Feudum antiquum et reddibile, etc. Item ex Chron. Metensis: Feudum de Marimont cum appendiciis suis reddibile — acquisuit. Atque pactum hoc fiduciae et Redda^{g)}) atque Redditio et Reditus appellatur. Quod cum chartae mandauit, certe genium suum haud aduocavit vir doctus, adeo haec omnia a veritate aliena sunt. Melius rem enodauit **CANGIVS** in *Glossar.* sub v. *feudum reddibile*, vbi sic illud describit, ut scilicet sit, cuius castrum redi quidem debet domino (bellum fortasse gerenti, aut aliam ob causam illo opus habenti) a vasallo, qui inde cum tota sua familia exceedere tenetur, ita tamen, ut eidem vasallo postea restituatur. Vberius naturam seudi reddibilis idem expo-

B 2

fuit

g) **REDDA** f. redditio in rebus feudalibus idem, quod *seudi reddibilitas* est. Conf. **CANGIVS** *I. c. sub v. Redditio.*

suit CANGIVS in *Dissertat. ad Ioinuillam* ^{h)}
Diss. XXX. quae inscripta est des fiefs ju-
rables

h) *Vid.* Histoire de S. Louys IX. du nom, Roy de France, écrite par Jean Sire de Joinville, enrichie de nouvelles Observations et Dissertations historiques, par Charles du Fresne, Sieur du Cange, à Paris 1668. *vbi pag. 349. leguntur haec:* Le terme de iurable designe le serment particulier, et la promesse, que le vassal faisoit a son Seigneur, de remettre son Château entre ses mains, et en son pouvoir, toutes les fois, qu'il en auroit besoin, et qu'il lui en feroit la demande — Le terme de rendable regarde le Seigneur dominant, à qui le vassal estoit obligé de rendre son château et sa forteresse dans les occasions, et dans ses besoins, en telle sorte qu'il en demeuroit le maître absolu; le vassal même étant obligé d'en sortir avec toute sa famille, comme nous remarquerons dans la suite. Je stime que c'est en cela, que ce que les titres appellent feudum receptabile, differe du reddibile, en ce que par la condition du premier le vassal estoit obligé de recevoir le Seigneur, sans qu'il fust tenu d'en sortir, ni sa famille. — De sorte que le fief receptable est celui que quelques Feudistes appellent Fief de retraite, parce que le vassal

rables et rendables, nec non DENIS DE SALVAING (de l'yslage des fiefs et autres droits seigneuriaux, P. t. c. 8.) vbi inter alia exempla p. 83. profert feudum francum et nobile, red-

B 3 dibile

vassal est obligé de recevoir Son Seigneur en son château, et de lui donner retraite, lorsqu'il en a besoin, sans que le vassal soit obligé d'en sortir. Au contraire le Fief rendable est lorsque le vassal est obligé de sortir de son château, et de l'abandonner à son Seigneur; pag. 358. autem sequentia: Il y a vne pièce ancienne aux Preuves de l'Histoire des Comtes de Poitou du sieur Bessy, qui fait voir, que lorsque le vassal auoit quelque sujet de défiance de Son Seigneur, il pouvoit avec fondement lui demander des cautions, ou des hostages, avant que de mettre son château en son pouvoir: *comes vero dixit ei, si fidueias vult dare tibi, quod inimici tui castrum non habeant, non potes eum tenere.* Et plus bas, parlant du vassal résolu de garder son château, à moins que le Seigneur ne lui donne caution, *misi Hugo omnia necessaria in castrum, et voluit eum tenere contra omnes, si fiducias non darent ei.* De feudo aperturae consuli merentur WVRDWEINII Subsid. Diplomat. ad selecta Iur. Ecclesiast. capita, Part. V.

dibile tamen, quod naturam habeat antiqui feudi reddibilis, quae reddibilitas sic aestimatur, ut quotiescumque Dominus Delphinus, vel sui guerram haberent, vel habere timerent verisimilibus coniecturis, ad eius requisitionem eidem reddi debeant dicta Castra, et ea tenere possint guerra durante cum expensis dicti Domini Delphini, nihil accipiendo de redditibus, vel exitibus, vel aliis iuribus dictorum Castrorum, et guerra sopia ipsa Castra dicto Domino Principi reddere teneatur. Si vero Dominus Princeps pro bono dominio ipsi Domino Delphino redderet ipsa Castra, tunc dictus Dominus Delphinus cum expensis dicti Domini Principis ipsa debeat custodire. Et in qualibet mutatione Domini et Vasalli, etiam dicta Castra redunduntur Domino Delphino, et suis, tenenda per tres dies duntaxat cum vexillo Delphinali, nihil de bonis dictorum Castrorum accipiendo.

Sed nec cum feudo *pignoratio*, quod etiam *pignus infeudatum* vocant, cuius scilicet dominium utile maioris securitatis causa in creditorem per inuestituram transfertur, confun-

fundendum fiduciarium est, propterea quod in pignoratitio semper ius crediti in vasallo cogitatione atque intelligentia anticipatur, (*praesupponitur barbari dicunt,*) quod in feudo fiduciario aliter se habet. Atque ita hoc a pignore infeudato in eo maxime differt, quod haud desideret contractum aliquem principalem et accessorium, sed solo pacto de ipso ad domini lubitum aut certo tempore restituendo absoluatur. Hinc quoque est, quod de utraque specie in *Iur. Feud. Alemann.* diuersis capitibus, et quidem de pignoratitio praecepit *Cap. 56.* et *100.* de fiduciario autem *Cap. 97.* exponatur. Haud quidem nos fugit, *Io. GOTL. SIEGELIVM* in *Diss. de feudo pignoratitio, re fundamenti et utilitatis egena,* (*Lips. 1742.*) feudum pignoratitium tamquam rem nauci exagitasse, fereque inter σιδηρόξυλα retulisse. Sed non utimur nos hacce sententia, meliora edocti ab *VLR. MARBACHIO*, cuius de *feudo pignoratitio* *Diss. Thesauro iur. feud. Ienicheniano* *T. III.* *p. 156.* inserta est, nec non a *CHRIST. GOTL. BVDERO Amoenit. Iur. Feud. Obs. XIX.* aliisque, quos laudat *Ill. GEO. LVD. BOERMERVS* in *Princ. Iur. Feud.* *§. 76.*

ipse quoque in *App. p. 367.* feudi exemplum
pignoratitii proferens, quale etiam apud
Gvndlingivm l. c. me legere memini ⁱ⁾.

Magis cum feudo fiduciario congruere
videntur 1.) feuda ad pauciores annos, aut
dies

- i) Feudi pignoratitii exemplum dedit quoque **Lv-**
NIGIVS in *Corp. Iur. Feud. Germ. Tom. II.*
p. 45. Ceterum feudum pignoratum ibidem
Tom. III. p. 644. ita describitur: Pfandlehn ist
ein Lehen, welches von dem Lehns-Herrn von
wegen eines gewissen Darlehns dergestalt ver-
liehen wird, dass er befugt seyn solle, mittelst
Erlegung der geliehenen Summe das Lehen
wieder einzulösen. Es pflegt wohl ein solches
Lehen unablässlich und auf ewig verliehen, und
allein der Rückfall auf den Fall ermangelnder
Lehen-fähigen Erben vorbehalten zu werden;
doch werden nach dem Herkommen in
Teutschland in solchen Lehen auch die Töch-
ter zu der Erbfolge gelassen. Aufser diesem
bleibt das Wiederlösungs-Recht allezeit offen,
und kann durch Verjährung nicht verloren
werden. **Conf.** tamen **BARTHIVS l. c.**
p. 594.

dies vitae concessa ^{k)}), quorum exempla nonnulla collegit BUDERVS l. c. Obs. VII. p. 38, itemque BOEHMERVS l. c. p. 361. seq. 2.) feuda cum pacto de retrouendendo emta, de quibus conferri meretur GOTFR. BARTHII Diff. de success. feminar. in feud. earumque exclus. per masculos, quae est inter Diff. eius a GEO. CHRIST. GEBAVERO Lips. 1733. iunctim edita, p. 553. §. 17. seq.¹⁾). Etsi enim,

B 5 vti

- k) De feudo *annali*, nec non *vitali*, quod cum vita vel dantis, vel accipientis, vel vtriusque extinguitur, vid. THOM. CRAGII *Ius Feud.* p. 71. seq. edit. Edinburg. et C. H. MOELLERI *Difflndt. Fend.* IV. 17. vbi simul monetur, feuda temporaria hodie quidem rara esse, olim autem frequentissima, immo primis ab origine feudorum temporibus fere vnicce cognita fuisse. Feuda inter personalia numerum etiam facit *fendum habitationis*, de quo sic II. F. 105. *Feuda habitationum, nisi aliud specialiter caustum sit, morte accipientium finiuntur, nec non feudum campanarium, de quo docte exposuit Cel. BOEHMERVS in Obs. Iur. Feud. Obs. VII.*
- l) De feudo, cum pacto de retrouendendo constituto, (wiederkauflich Lehn) dixit etiam FLEISCHMANN

S C H E

vti ex iis, quae supra diximus, patet, fiduciarium feudum domino nonnumquam nullo soluto

SCHERVS *Inst. Iur. Feud.* p. 177. Exemplum feudi cum pacto retrouenditionis concessi, nec non pignoratiti, praebet Comitia minor Mittelhusen, de qua ita in *Obs.* ad I. B. MENCKENII Scriptor. *Rer. Germ. praecep. Sax.* Tom. III. p. 2059. Conflat, Albertum degenerem iam an. 1270. Senatui Erfurtensi Comitiam suam minorem Mittelhausen apud Geram pro CLX. marcis argenti, feudi nomine possidendam, cum clausula retrouenditionis tradidisse. Postea filius Fridericus Admorsus an. 1315. oppignorauit Erfurtenibus pro CCC. Marcis ad quinquennium seine minnere Grafschaft, die da liegt an der schmalen Gera. Denique Fridericus junior an. 1409. vendidit pro DCCC. marcis Comitatum illum cum conditione redimendi quounque tempore, quod tandem an. 1483 ab Ernesto et Alberto factum est. Diplomata ipsa leguntur ibid. p. 2060. seq. Sic etiam in ipsis nonnumquam litteris inuestigaturae heredibus allodialibus prospicitur, ut feudo cedere, nisi resufo ipsis pretio, haud teneantur, quale exemplum ruperi legi apud BUDERVM in *Opusc. quibus selectiora Iur. Publ. Feud. Eccles. Germ. et histor. patr. ac litterar. argument. exhibentur*, p. 330.

soluto pretio reddendum est, interdum etiam, usque dum dominus iure reuocandi vtitur, ad heredes feudales transit, in eo tamen speciebus modo memoratis cum feudo fiduciario conuenit, quod in iis quoque dominus iure repetendi, prout conuentum fuerit, gaudeat. Ceterum feudum inter fiduciarium, idque, de quo pactum retroueditionis initum est, hoc semper discrimen remanet, quod sola illud fiducia, hoc contra pacto, contractui emtionis venditionis anteriori adiecto nititur. Evidem scio, Consultissimum GEO. FRID. KRAV-
SIVM in Diff. de *feudis fiduciariis*, *Vitembergae* ao. 1764. proposita, feudum cum pignorati-
tum, tum illud, quod legi retroueditionis subest, tamquam exempla aut species feudi
fiduciarii commemorare. Enimuero cum ex
iis, quae adhuc diximus, abunde pateat, di-
versam omnino horum feudorum naturam
esse, praetereaque in feudali praesertim disci-
plina, vtpote maximam partem arbitraria, usui
loquendi nonnihil dandum sit, licebit nobis,
speramus, iis subscribere, qui feuda fiduciaria
neque cum pignoratiis, neque cum iis, quae
retroueditionis lege tenentur, confundenda
esse

esse existimant, qua in re HORNIVM quoque
in *Iurispr. Feud. Cap. IV.* §. 12. consentientem
habemus. Taceo iam, saepius fieri, ut spe-
cies quaedam plane singularem, et a genere
diuersam, induant naturam, simulque in aliud
nomen transeant, cuius rei plura in iure exem-
pla exstant, notius est, quam ut probari debeat.
Sane omnia feuda mutuam fidem fiduciariamque
desiderant, neque tamen ideo omnia fiduciaria
dicere solemus.

Sed excutiendae nunc sunt potiores, de
iure feudi fiduciarii quae moueri possunt,
quaestiones.

Prima haec esto. Conuenit inter domi-
num et vasallum, ut illi feudum pro certo pre-
tio statutoque tempore restituatur. Cunctante
domino vasallus postulat, ut ipsi pecuniam sol-
vat, feudumque recipiat. Quaeritur, an do-
minus, ut hoc faciat, adigi iure possit? et re-
spondetur in §. 1. *Cap. 97. Iur. Feud. Alemann.*
dominum posse reluere, et posse non reluere,
nec enim iuris rem esse, sed merae facultatis.
Qui ita? Cum vasallum volente domino feu-
do cedere oporteat, nonne iustum et aequum
est

est, dominum etiam pacto conuento stare, feudumque soluto, quo fortasse eget vasallus, pretio recipere, maxime cum contractus feudalis ea natura atque indoles sit, ut vtrumque, cum ex parte vasalli, tum ex parte domini, obligationem pariat? Atenim meminisse oportet, pactum illud fiduciae de feudo domino restituendo tacitam hanc clausulam, *si uti iure suo dominus velit*, continere, neque adeo inuste eum hac in specie vasallo reponere: *genus seruitutis est coacta libertas, desinitque beneficium esse, quod ingeritur recusanti.* Verissime
P L A V T V S Trinum. III. 2.

*Nullum beneficium esse duco id, quod, cui facias,
non placet.*

Plura hanc in rem dabit **P E T. F A B E R** in *Commentar. ad Tit. D. de diu. reg. iur. p. 304.* vbi eleganter explicat *l. 69. D. eod.* qua notissima illa iuris regula *in iusto beneficium non dari* continetur. Quae cum ita sint, nihil plane iniquitatis habet illa sententia, rem scilicet, quod ad dominum directum attinet, non iuris, sed merae facultatis esse, velutne feudum reluere, an idem vasallo relinquere.

Magnus

Magnus mihi hic aperiretur campus, multaque de *rebus merae facultatis*, seu, uti rectius forsitan dixeris, *rebus meri arbitrii*, si liberet exspatiari, proferri in medium possent. Tantum enim super ea re sententiarum diuortium est, vt ne in definiendis quidem eiuscmodi rebus consentiant interpretes, sed si omnium commentarios perlegeris, fere cum Demiphone Terentiano tibi dicendum sit, *feliciter probe, incertior sum multo, quam dudum.* PETR. quidem DE TOULLIEV in Diff. de *litione pignoris et rebus merae facultatis*, quae in *Colle^{ct}an.* eius, a IO. WOLBERS *Groningae 1737.* editis, p. 106. exstat, §. 25. res merae facultatis dicit *facultates iure naturali vel communi ciuitatis ad nos pertinentes, circa usum et dispositionem rerum (i. e. corporum vel iurium) nostrarum, quandiu in earum sumus possessione.* Sed praeterquam quod subobscura haec definitio est, verba etiam postrema haud omnino recte se habent, ut iam monuit MICH. HENR. GRIBNERVS *Select.* Opusc. Tom. IV. Sect. IV. p. 148. qui res meri arbitrii rectius ita definiisse mihi videtur, vt scilicet sint ea, *quae non ex priuilegio, sed iure proprio,*

proprio, eodemque vel omnium hominum, vel omnium ciuium communi ita competit, vt, quoties animus fert et occasio, iis vti possimus, neque aut possessio aut prohibitio aliena ab eorum exercitio nos excludat. Ridiculum quidem, sed haud plane absolum tamen exemplum adfert *Glossa ad l. 2. D. de via publ.* vbi ita **I A V O - L E N V S :** *Viam publicam populus non utendo amittere non potest,* qua occasione inter res membrae facultatis etiam hoc, *vt quis ad S. Iacobum eat,* a vetere quodam glossatore refertur. Sed hoc iam non agimus. Conferri tamen mereatur **I o. G E O. E S T O R I S** de *abusu rerum membrae facultatis in foro germanico, praesertim feudalii,* *Diss. (Ienae 1739.)*

Quaeri porro poterit, an mortuo sine heredibus feudibus vasallo eiusdem heredes allodiales a domino, *vt feudum reluat,* exigere possint? et docemur §. 2. d. Cap. 97. **I. F. A.** feudum tunc dominō aperiri, nec quidquam eum heredibus allodialibus soluere teneri; fas tamen illi esse, cum heredibus quoque pactum fiduciae continuare, posteaque, si ipsi placuerit, feudum reluere. *Esse etiam* **hoc**

hoc rem liberae domini voluntatis, neque iuri
reluendi vlo, quamuis longissimo, tempore
praescribi, idque propterea, quod fiduciarium
feudum sola nitatur fiducia, neque hic, vti in
pignoratitio, de forte aliqua, heredibus allo-
dialibus debita, quaeratur. Illustris multum-
que inter iuris ciuilis interpretes agitata quae-
stio est, an ius illud, quod debitor habet, of-
ferendi scilicet pecuniam, pignusque luendi,
praescriptione triginta aut quadraginta anno-
rum tollatur? Adfirmantium castra sequitur
A R N. *VINNIUS Sel. Iur. Quaest. Lib. II.*
Cap. 6. negantium contra **LEYSERVS Spec.**
155. Med. 9. nec non **MENCKENIVS** in *Sy-*
stem. I. C. sec. Pandect. p. 252. quibus praeeun-
tibus nos quoque statuimus, actioni pignora-
titiae directae haudquaquam, quod ad ius of-
ferendi debitum pignusque reluendi attinet,
sed demum post solutum, aut rite oblatum
depositumque debitum legitimo tempore praec-
terlapso praescribi. Sed quidquid huius rei
sit, hoc certe dubio caret, semper posse do-
minum directum reluere feudum fiducia-
rium, neque eum vlo temporis lapsu hoc iure
excludi, quod satis clare indicant verba *d.*

Cap.

Cap. 97. §. 2. Das mag er tun oder nüt, und
bricht damit nüt sine Treuwe.

Tertia species, cuius in §. 3. d. *Cap. 97. I.*
F. A. mentio sit, haec est. Mortuo domino
 directo vasallus ab heredibus eius renouatio-
 nem inuestiturae petit. Quaeris, teneanturne
 hi illam concedere, an denegare eandem iure
 possint? et responsum feres, rem omnem ip-
 forum arbitrio relictam esse, an scilicet inue-
 stituram renouando pactum fiduciae conti-
 nuare, an statuto tempore effluxo feudum
 oblato pretio reluere velint. Cur ita? Ideo
 scilicet quod, si feudum reluere volunt, ini-
 stiturae renouatione haud opus est. Evidem
 adieci verba *statuto tempore effluxo*. Fortasse
 autem haud errassem, si heredibus etiam ante
 lapsum temporis feudum reluendi potestatem
 hic fieri scripsisse. Nouimus enim, veteres
 germanos haud semper heredes contractibus
 defunctorum adstrinxisse. Vis exempla? Le-
 ge quae*Spec. Sax. Lib. I. Art. 9.* Stirbet
 einer, der sein Guth einem andern auflassen
 soll, dessen Sohn ist es nicht pflichtig aufzulaf-
 sen, er habe es denn selber mit gelobt, oder

C

Bürgen

Bürgen darvor gesetzt, nec non *Lib. III. Art.* 77. Thut ein Mann sein Land besät aus umb Zins oder umb Pflege, zu bescheidenen Tagen oder Jahren, also, dass man es ihm besät wieder lasse, zu welcher Zeit er dann binnen den Jahren stirbt, man soll es seinem Erben also besät wieder lassen. Denn es ienem dieser, der es aufthät, nicht länger gewehren möcht, denn dieweil er lebt. Alia exempla, in veteribus legibus germanicis passim obuija, iam sciens praetereo^{m)}.

In §. 4. Cap. 97. I. F. A. additur, si princeps ecclesiasticus feudum hoc modo concesserit, omnes eius successores eodem iure gaudere. Successores cum hic nominantur, capitulum excluditur, quippe quod sede vacante in prodominium praelati haud succedit, nisi quod sede ad plures annos impedita plus potestatis ei tribuendum sit, ut notant interpre-

m) Ne iure quidem Romano heres semper factum eius, cui succedit, praeflare tenetur. Vid. PETR. FABER in *Comm. ad Tit. D. de diu. reg. iur. p. 194.* et IO. STRAVCHII *Diss. de iuribus transitoriiis ad successorem.* (Ienae 1661.)

terpretes ad Tit. X. ne sede vacante aliquid in-
nouetur. Conf. IUST. HENN. BOEHME-
RVS in *Iur. Eccl. Protest.* Tom. II. p. 648. seq.

Quodsi tandem vasallus pactum fiduciae
contractui feudalii umquam adiectum fuisse
plane inficietur, quod quaeſo consilium tunc
domino directo capiendum erit? Haec quaeſio
decisa est in *Iur. Feud. Sax. Cap. 57.* cu-
ius verba ſupra iam adſcripſimus, eodemque
pertinet ἐντος *Iur. Feud. Sax. Lat. Cap 29.* Si
fidem infringere voluerit taliter infeudatus, ne-
gans, quod ipsum feudum ab eo poffit abſolui,
hoc oportet iuramento proprio affirmare, niſi
conuinci valeat per teſtes, quod hoc ſit promiſſum
in iudicio feudalii. Sin vasallus pactum illud
haud inficietur, ſed moras tamen domino
feudum repetente neceſtat, huic quidem, ut
contractus fides feruetur, actionem praescriptis
verbis, aut, ſi res ita ferat, ex vendito utilem ac-
commodabimus, idque argumento *l. 2. C. de*
pact. int. emt. et vend. cuius iam ſupra men-
tionem fecimus ⁿ⁾.

C 2

Cete-

n) Subinfeudationem feudi fiduciarii absque
domini directi conſenſu ſaltem non aliter,
quam

Ceterum, quamvis Vasallus vtili feudi fiduciarii dominio haud perpetuo, sed temporario tantum gaudeat, nihilo tamen minus propter hoc ipsum dominium, quamdiu illud durat, omnes fructus feudi, cum ordinarios tum extraordinarios, suos facit, emolumenta- que omnia, ne thesauro quidem excepto, ex feudo percipit. Vid. GABR. SCHWEDER de *fruct. feud.* (*Disputat. Mannhemii 1775.* iunctim *editar.* T. I. p. 792.)

Fere silentio praetermissum haud ineptam quaestione, soluta scilicet a domino, feudum fiduciarium repetente, pecunia heredibusne vasalli allodialibus an successoribus feudalibus cedat. Qua quidem in re maxime, quid inter dominum vasallumque actum sit, quique eorum fuerit animus, spectandum esse videtur. Quodsi autem de eo plane haud constet, tunc hic etiam locum

quam sine huius detimento fieri posse, res ipsa loquitur. De subinfendatione praeter alios conf. GEO. BEYERVS *Themat. ex vario iure selector. centur. p. 25.* eiusd. *Dissertat. et Opusc.* quae *Lips. 1723.* iunctim prodierunt, adiect. nec non F. E. a PUFENDORF *Obs. Iur. Vniu. Tom. III. p. 137. et 385.*

locum sibi vindicabit, quod de feudo cum pacto retroueditionis concessso scribit HORNIVS l. c. Cap. IV. §. 8. Cum restitutionis necessitas ad solos masculos pertineat, iis etiam solis regulariter pretium, quod redemtione facta soluitur, relinquendum est.

Ne quis autem haec omnia in usum numquam deducta fuisse sibi persuadeat, age de exemplis feudi fiduciarii iam videamus. Fallerem lectores, si referre huc vellem ea, quibus usus est I. o. SCHILTERVS l. c. p. 275. propterea quod omnia illa non feudi fiduciarii, sed reddibilis species sunt. Neque hic repetam, quae de feudis annualibus vitalibusque iam ante monui. Proferam potius feudi fiduciarii exemplum inlustre, proprieque huc pertinens, ita quippe comparatum, ut in primis lucem huic materiae accendat. Praebent hoc nobis litterae inuestiturae HENRICI VII. quibus AMADEO V. Comiti Sabaudiae Comitatum Astensem in feudum fiduciarium ita concessit, ut sibi successoribusque ius reluendi pro ducentis millibus florenorum auri, attamen non nisi post mortem Amadei exercendum, re-

seruaret. Occurrunt hae litterae inuestiturae apud SAMVEL. G V I C H E N O N I V M dans l'*hi-stoire genealogique de la Royale Maison de Savoie* (à Lyon 1660.) Lib. VI. Tom. III. p. 139. hoc titulo: *Donation du Comté d'Ast a Amé le Grand, Comte de Sauoye, par l'Empereur Henry VII.* extraite de l'*Archive de Turin*; neque laborem, vti quidem nobis persuademus, aut inutilem aut lectoribus ingratum suscipiemus, si totam illam chartam hoc loco inseramus, eique animaduersiones nonnullas adspergamus. Ita autem Imperator:

„Henricus septimus diuina fauente cle-
 „mentia Romanorum Imperator semper Au-
 „gustus, ad perpetuam rei memoriam. Dum
 „in circuitu Throni Caesarei nostrae mentis
 „aciem et considerationis intuitum ad Prin-
 „cipes et Barones Imperii, qui ab eo Nobili-
 „tatum et dignitatum radiis illustrantur, dili-
 „genter conuenimus, dumque merita cuius-
 „cumque ipsorum decernimus, illos Augusti
 „clementia sinceroris dilectionis et gratiae
 „recompensatione prosequitur, qui ante suae
 „Maiestatis conspectum, per clarae fidei stu-
 „dia,

„dia, et deuotionis purae constantiam, se gra-
„tos faciunt, et exhibent fructuosos. Atten-
„dentes itaque magna et multiplicitia merita
„Spectabilis Viri, Amdei Principis et Comi-
„tis Sabaudiae, fidelis et affinis nostri Carissi-
„mi °), qui tanquam Sydus praefulgidum cir-
„ca illustre Imperii Solium, (postquam ad il-
„lud nos dispositio Diuina vocauit) semper
„absque interminatione a dextris nostris affi-
„stens, et sincerum suae fidelitatis affectum

C 4 euiden-

- o) De meritis AMADEI in HENRICVM VII. vid.
 LVD. ANT. MVRATORII *Histor. Ital. Part.*
VIII. p. 301. versionis germanicae, quae Lips.
 1749. prodiit, nec non I. D. von Olenschlager
 Erläuterte Staatsgeschichte des Römischen Käy-
 ferthums in der ersten Helfte des 14ten Jahr-
 hunderts (*Franc. ad M. 1755.*) et Jac. Pauls von
 Gundling Geschichte und Thaten Käysers
 Heinrichs des Siebenden. (Halle 1719.) *Fidelens*
 suum AMADEVUM vocat HENRICVS VII. i. e.
 vasallum, *affinem* antem ideo, quod in matrimo-
 nio ille habebat sororem Imperatoris, MA-
 RIAM, quam tamen frustra quaelui in IO. DAV.
 KÖHLERI *Familia Augusta Lucemburgensi, ex*
Monumentis fide dignis demonstrata, (Altorf
 1722.) *Tab. IV. et V. p. 36. seq.*

„evidenter ostendens erga Nos, qui vocati su-
 „mus a Deo in potestatis plenitudinem, pro
 „sua particulari sollicitudine, salubribus con-
 „filiis, et laudabilibus seruitiis continue rele-
 „vare studuit et semper pro viribus nobis ob-
 „sequi non desistit, et confidentes, quod de
 „virtute in virtutem condescendens tanto er-
 „ga Romanum Imperium fide ac deuotione
 „concrescat, quanto se ab eo maioribus lar-
 „gitionibus et retributionibus communitum
 „agnouerit P), eidem Comiti, cuius hono-
 „rem et prosperitatem affectamus, ex corde
 „libenti desiderio munificentiae nostrae dexte-
 „ram aperimus. Cupientes itaque, perso-
 „nam

p) Scilicet, ut eleganter CLAVDIANVS de *Con-*
fulat. Fl. Mallii Theodori,

*Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late
 Fortunae secura nitet, nec fastibus ullis
 Erigitur, plausuue petit clarescere vulgi.
 Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis,
 Diuitiis animosa suis, immotaque cunctis
 Casibus ex alta mortalia despicit arce.
 Attamen inuitam blande vestigat, et vltro
 Ambit Honos.* — — —

„nam suam specialibus praeuenire fauoribus
 „et gratiosis muneribus honorare, dicto Co-
 „miti et eius legitimis heredibus de suo cor-
 „pore per masculinam lineam ^{q)} , ex Maria
 „Vxore sua et forore nostra praedilecta nasci-
 „turis, vel si ex ea ipse liberos masculos non
 „haberet, aliis eiusdem Comitis legitimis li-
 „beris, Ciuitatem et Comitatum Astensem,
 „cum vniuersis et singulis Castris, Villis, Cas-
 „salibus ^{r)}, possessionibus, terris cultis et
 „incultis, districtibus, Territorii, Iuribus,
 „Iurisdictionibus et pertinentiis Ciuitatis et
 „Comitatus praedictorum, et cuiuslibet eo-
 „rum in feodum tenore praesentium concedi-
 „mus, et largimus; conditiones infra scriptas
 „in concessione et largitione huiusmodi adii-
 „cientes expresse, videlicet quod si eum dictae

C 5 „Mariae

- q) En igitur feudum datum, idemque masculi-
num, indicato simul ordine, in successione po-
sterorum A M A D E I obseruando.
- r) *Casale* significat primum *casam*, *tugurium*, deinde etiam *certum casarum numerum*, *villam*, *sub-urbanum*, *προάστειον*. Vid. C A N G I I *Glossar.*
med., et *infim.* *latinitat.* sub v. *Casale*.

„Mariae forsan praemori contingere, ipsa
 „Maria sola Ciuitatem et Comitatum praedictos,
 „cum Castris, Villis, Cassalibus, posse
 „sessionibus, terris, territoriis, districtibus,
 „Iuribus, Iurisdictionibus, et pertinentiis suis
 „pradicis, quamdiu vixerit, habere debeat et
 „tenere ②. Post eius mortem ad liberos
 „masculos ipsius Mariae et dicti Comitis natatos,
 „vel eis non extantibus ad alios dicti Comitis
 „legitimos liberos feodum huiusmodi
 „deuoluatur, verum tamen si, postquam ipse
 „comes fuerit rebus humanis exemptus, Nos,
 „vel aliquis successorum nostrorum, Imperatorum
 „et Regum Romanorum, Ciuitatem et
 „Comitatum praedictos vellemus redimere et
 „ad manum nostram reducere, Maria, liberi
 „et heredes praenominati, et quilibet eorum
 „per modum superius expressum, nobis et

„cui-

②) Cane tamen feudum femininum hic deprehendere existimes. Constat enim inter omnes, et si
 femina ad successionem in feudo admittatur ea
 conditione, ut mortua illa ad filios transeat, ideo
 tamen naturam feudi masculini haud mutari.
 Vid. C A S P. A C H A T. BECKII Diff. de *feudis transmissione femininis*.

„cuicunque successorum nostrorum praeditorum, pro ducentis millibus florenorum „auri, dictos Ciuitatem et Comitatum, cum „Castris, Villis, terris, possessionibus, terri- „toriis, districtibus, iuribus, iurisdictionibus „et pertinentiis praedictis libere ac expedite „restituant ⁱ⁾, ipsaque ducenta millia floreno- „rum extra Comitatum Sabaudiae, quem „propter supra vel infra scripta a seruitiis de „ipso Imperiali Culmini debit is in nullo pe- „nitus exonerare intendimus, in exemptio- „nem terrarum et locorum aliorum ascenden- „tium ad valorem annum viginti millium flo- „renorum auri, totaliter conuertant, et eas- „dem terras et loca praefati Comitissa, liberi „et heredes modo praelibato in feodum „perpetuis temporibus ab Imperio recognos- „cant, et praedicta Comitissa dictas res emptas „ex dicta pecunia teneat in vita sua, et post
„mor-

- i) Atque haec maxime verba continent pactum il-
lud fiduciae, quod huic quidem feudo naturam
fiduciarii indidit, quo loco simul notari meretur,
hoc pactum non nisi mortuo demum **A M A D E O**
vim suam exercere debuisse.

„mortem ipsius ad dictos liberos deuolu-
 „tur u), per modum de dicta Ciuitate et Co-
 „mitatu in praesentibus enarratum, et tam
 „iidem Comes et Maria quam heredes et li-
 „beri eorum praedicti, causa praemissorum,
 „cum ducentis sufficientibus equis armorum,
 „videlicet ad rationem cuiuslibet Centena-
 „rii x), de dictis viginti millibus florenorum
 „cum

u) Atque sic ducenta illa millia florenorum in plen-
 num heredum Amadei dominium haud tran-
 fire, sed emtioni potius aliarum terrarum, feu-
 di loco in perpetuum tenendarum, impendi
 debebant.

x) *Centenarium s. centenarius*, definitio ISIDORO
Orig. XIV. 24. numeri nomen est, eo, quod cen-
 tum librarum ponderis sit. CANGIVS l. c.
 sub v. *centenarium*. Annui scilicet redditus praedi-
 orum comparandorum esse debebant viginti
 millia florenorum. Iam cum in singulos cen-
 tenarios, quod ad seruitia praestanda attinet, unus
 equus esset computandus, necessario sequebatur,
 ut equi ducenti sistendi essent. Magnus pro-
 fecto pro ratione antiquorum temporum nume-
 rus, quippe quibus summos saepe principes par-

va

„cum uno equo seruient, aliaque seruitia facient, et per tres menses integros y), ubi-
„cumque locorum Italiate singulis annis, in ex-
„pensis propriis z), praedicta et alia seruitia in
„Regi-

va cum manu in aciem processisse relatum legimus. Vid. **CASP. BARTHII** *Animadu. in GVIL. BRITONIS Philippid. Lib. III. v. 23.*
Et iuuabit ipsum audire **BRITONEM** *Lib. VI. v. 318.*

*Vt video, nostrae vix centenarius implet
Militiae numerum, qui si mora parvula nos hic
Detinet, ecce erimus quingenti et mille Qui-
rites,*

*Cumque satellitiis peditum ter millia dena:
Tunc poterit noster exercitus ire decenter
In patrui patriam, seque illi illidere tuto.*

- y) Confirmatur hinc, quod iam monuit **I. L. MASCOVVS** in *Iur. Feud. Cap. XI. §. 15.* seruitia vasallorum olim ad certum tempus, plerumque tres menses, restricta, saepius etiam, ne extra patriam illi ducerentur, cautum fuisse.
- z) Quod de seruitiis a vasallo propriis expensis praestandis hic legimus, ideo inferendum erat, quod

„Registro Camerae nostrae contenta, faciant
 „et facere teneantur, expresse retinentes et re-
 „seruantes ex nunc nobis et eisdem successo-
 „ribus nostris talia seruitia, iura, seruitutes
 „et dominia in praedictis Ciuitate, Comitatu,
 „Castris

quod alias olim vasalli iure Longobardico ex
 praescripto regulae domini sumtibus seruitia
 praestabant. II. F. 107. vbi haec legimus: *Anti-*
quatum esse ipsis rerum experimentis nos ipsi cognovimus, fideles, nisi aliud contractibus insertae
passiones desiderent, dominorum sumtibus eisdem
seruitia ministrare. *Iustum namque est, ut illi*
consequantur stipendium, quo tempore suum com-
modare reperiuntur obsequium: praesertim cum
nec quisquam propriis cogatur impendiis militare,
maxime cum extra ciuitatis suae tentoria seruitiis
exhibendis eos conuenit fatigari. Paullo tamen
 aliter res se habebat secundum scita juris fonda-
 lis Saxonici *Art. IV.* nec non Alemannici *Cap.*
VII. §. 4. Vid. I. G. WOLFI *Elem. Iur. Feud.*
p. 313. Qui ex iure Romano omnia probare sa-
 tagunt, ad *I. 18. D. de oper. libert. prouocant*,
 vbi ita PAVLVS: *Suo viulu vestituque operas*
praeflare debere libertum, Sabinus ad Edictum
Praetoris Urbani Lib. V. scribit. Quodsi alere
se non possit, praeflanda ei a patrono alimenta.

„Castris, Terris, Casalibus, Possessionibus,
„Territoriis, Villis, districtibus, iuribus, iu-
„risdictionibus et pertinentiis supra dictis, ac
„postquam eos, eas et ea, ut dictum est, nos
„vel successores praedicti redemerimus, pro
„praedicta pecuniae summa, in terris, locis
„et annuo redditu, qui et quae de ipsa, ut
„dictum est, empti, emptae ac empta fuerint,
„qualia in Registro ipso continentur; et me-
„moratum Comitem nobis recipientibus pro
„nobis et successoribus nostris praedictis et
„Romano Imperio de Ciuitate, Comitatu, Ca-
„stris, Villis, Casalibus, possessionibus, terris,
„territoriis, iuribus, iurisdictionibus et per-
„tinentiis supradictis homagium facientem et
„fidelitatis iuramentum praefantem, et per
„iuramentum ipsum nobis et successoribus
„nostris praedictis, Romanoque Imperio fide-
„litatem et obedientiam debitam, ac etiam
„omnia alia, quae in forma fidelitatis noua et
„veteri ^{a)} continentur, perpetuo fideliter fa-
„cere,

a) Lucem haec accipiunt e textu II. F. 5. et 6.

*Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex in me-
moria semper habere debet, incoluisse, tutum, ho-
nestum,*

„cere et obseruare, seruitiaque supradicta im-
„pendere, iura, seruitutes et dominia nostra
„prae-

nestum, utile, facile, possibile. Incolume: ne sit in damno domino suo de corpore suo. Tutum: ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis, per quas esse tutus potest. Honestum: ne sit ei in damno de sua iustitia, vel de aliis causis, quae ad honestatem eius pertinere videntur. Utile: ne sit ei in damno de suis possessionibus. Facile vel possibile: ne id bonum, quod dominus suus facere leuiter poterat, faciat ei difficile: neue id, quod possibile ei erat, faciat impossibile. — Est et alia de novo super fidelitatis iuramento forma inuenta, et vtentium approbata consuetudine: quae hodie fere in omni curia videtur obtinere; haec scilicet: Ego Titius iuro super haec sancta Dei euangelia, quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem vitae meae ero fidelis tibi Caio, domino meo, contra omnem hominem, excepto Imperatore vel Rege. Vetus scilicet sacramenti fidelitatis forinula ista sex incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile nominatim continebat. In noua contra eadem tacite tantum intelligebantur, hunc fere in modum: omnia et singula adimplebo et obseruabo, quae in capitulo de forma antiqua et noua sacramenti fidelitatis comprehenduntur.

Conf.

„praetacta, in quantum spectabit ad eum, et
 „Mariam ac heredes suos praedictos integra-
 „liter reddere et conferuare, ac ea vel eorum
 „aliquod per se vel alium seu alios publice
 „vel occulte nullatenus impedire, promitten-
 „tem de Ciuitate, Comitatu, Castris, Villis,
 „Casalibus, Terris, Possessionibus, Territo-
 „riis, districtibus, iuribus, iurisdictionibus,
 „et pertinentiis supradictis, tamquam de feodo
 „nobili,

*Conf. CANGIVS l.c. sub v. fidelitatem, nec non
 DENIS DE SALVAING l.c. P. I. p. 64. Et
 quoique ces six choses soient assez mal conçues, en-
 sorte qu'Hotoman les qualifie Bardis Longobar-
 disque hominibus dignas, si est-ce qu'elles sont
 specifiées dans tous les anciens Hommages. Mais
 aujourd'hui le premier President de la Chambre
 des Comptes, recevant les Hommages, je contente
 de prendre le serment du Vassal, qu'il accomplira
 tout le contenu aux Chapitres de l'ancienne et nou-
 velle forme de fidélité, sans en specifier la teneur.
 Ceterum varias, quibus vasalli iusiurandum fide-
 litatis praeflabant, formulas profert CASP.
 BARTHIVS l.c. p. 121. et 576.*

D

„nobili, per baculum ^{b)} quem manu gestamus,
 „praesentialiter inuestimus. Praeterea Co-
 „miti, ac post eius decesum, Mariae heredi-
 „bus et liberis suis praedictis, in eisdem Ci-
 „vitate, Comitatu, Castris, Villis, Terris, iu-
 „ribus,

b) *Varia inter inuestiturarum symbola erat etiam baculus, ut luculenter docet CANGIVS l. c. sub v. inuestitura per baculum.* Hinc quoque *le Roman de Garin:*

*Tenés la terre, que quitte là vos rent,
 Par c'eft Baslon vos en sat le présent,
 Envers vos homes vos en ferai garent.*

Apud Francos baculus imperii etiam symbolum fuit, adeo, ut eius traditione dignitas regia designaretur. *CANGIVS l. c. sub v. baculus.* Et quem latet inuestitura illa Episcoporum per annulum et baculum, qua se abdicavit *HENRICVS V.* per transactionem cum *CALLISTO II.* anno *1122.* initam, quae legitur in *J. J. Schmaußens Corp. Iur. Publ. Acad. p. 2.* edit. nouiss. et de qua conferri meretur *Io. GVIL. HOFFMANNI Diff. ad concordatum Henrici V. et Callisti II. de inuestituris episcoporum et abbatum. Vitemberg. 1739.*

„ribus, iurisdictionibus et pertinentiis supra-
 „dictis, merum et mixtum imperium ^{c)} et
 „simplicem iurisdictionem, per se et suos of-
 „ficiales exercendam ibidem, usque ad no-
 „strum et successorum praedictorum nostro-
 „rum beneplacitum, per praesentes damus et
 „concedimus, et ipsos ordinarios ^{d)} facimus

D 2

,,in

c) Merum et mixtum imperium in veteribus char-
 tis nunc omnimodam iurisdictionem, et altam,
 vti vocant, et bassam, significat, nunc contra a
 iurisdictione distinguitur. Vid. iterum C A N-
 G I V S I, c. sub v. *merum et mixtum imperium*.

d) *Ordinarius* hic pro *iudice ordinario* ponitur.
 Notari autem meretur, iurisdictionem Amadeo
 eiusque posteris non in perpetuum, sed usque
 ad *beneplacitum* tantum concessam fuisse. Si-
 militer idem Imp. H E N R I C V S VII. in charta
 an. 1312. apud C A N G I V M in v. *Ordinarius*:
Te, inquit, in vicarium nostrum Castrum Cassani
ac Fortalitiae Bruniti, territoriorum et distri-
ctuum eorundem usque ad beneplacitum Imperia-
lis Maiestatis constituisse recolimus, ac ea, quae
sunt meri et mixti Imperii ac simplicis iurisdicatio-
nis, in locis ipsis tibi plenarie commissione, ac te fe-
cisse

„in praemissis. Mandantes et praeципientes
„harum serie obedientiam et seruitium debi-
„tum

*cisse Ordinarium in praediis, nec non pro te
tuisque posteris concessisse.* Memorabile exem-
plum Feudi Imp. revocabilis praebet ius pro-
tectionis in *figulos certis in regionibus commo-*
*rantes exercendae, HAMMANO e nobilissi-
ma Offenburgiorum familia anno 1435. ab
Imp. SIGISMUNDO concessum.* Litteras in-
vestiturae eo pertinentes exhibit CHRISTO-
PHOR. BESOLDVS in Thes. *præst. sub. v.*
Kestlerschutz, p. 458. ubi inter alia haec legun-
tur verba; Und haben ihm (Hamm. Offenburg)
darum solch Rechtung zu des obgenannten ge-
meinen Hafnerhandwerks von Ravensburg bis
gen Straßburg, und als fern und wie die Craifs
in ihr Freyheit-Brief, den sie von uns han, be-
griffen sind, zu einem rechten Lehen gnädig-
lich verliehen, und verleihen ihm die von neuen
Dingen von Römischer Käyserl. Macht, und
rechter wissen, in Krafft diß Briefs, also dass
der benannte Hamman Offenburg, dieweil er
lebet, und darnach sein Erben, *bis auf unser
oder unserer Nachkommen am Reich Willen und
Wolgefallen,* die obgeschrieben, das gemein
Hafnerhandwerk, und ieglichen insonders,
in

„tum a Ciuiibus, incolis, et habitatoribus Ci-
„vitatis, Comitatus, Castrorum, Villarum,
„Casalium, Territoriorum, districtuum, terra-
„rum, et pertinentiarum praedictarum, pre-
„fato Comiti tamquam eorum Domino exhi-
„beri, et de iuribus, et redditibus spectanti-
„bus ad Dominium Ciuitatis, Comitatus, Ca-
„strorum, Villarum, Casalium, Territoriorum,
„districtuum, Terrarumque praedictarum,
„absque difficultate qualibet integraliter re-
„spondere, et super his ab eisdem Ciuiibus,
„incolis et habitatoribus, salvo semper et re-
„seruato primae fidelitatis debito, in quo
„nostrae Maiestati tenentur, cum promitti-
„dine iuramentum praestari sicut indignatio-

D 3

„nem

in den obbeschriebenen Craisen begriffen, by sol-
chen ihren Freyheiten und Ordnungen, die wir
ihn von neuen Dingen geben und bestätigtet
han, als ihr Hauptherr halten, handhaben,
schützen und schirmen, und sie von Fürsten,
Herren, Städten und andern Enden, wo ihn
das Nothdurft seyn würde, verwaren, verant-
worten, verwesen, und vertreten, und ihnen
in allen Sachen berathen und beholffen seyn
sollen und mögen.

„nem nostram cupiunt euitare. Demum per
 „praemissa vel aliquod praemissorum non in-
 „tendimus, neque volumus, quod praefatus
 „Comes dictis Astensisibus rebellibus no-
 „stris e), vel alicui eorum, de excessibus, quos
 „con-

e) Lucem his foeneratur, quod narrat MVRATORIVS l. c. p. 301. Am 10. Nov. 1310.
 gieng er nach Asti, und brachte die vertriebenen Gibellinen wieder dahin. Man trug ihm, wiewohl ungern, die Herrschaft dieser Stadt auf, und er setzte einen Statthalter dahin; nec non p. 319. ad ann. 1312. In der Stadt Asti hatte die Parthey der Gottuarier, oder die Gibellinen von Castello die Oberhand, und Thomasinus von Enzola war kaiserlicher Statthalter. Die Solarier nahmen nebst andern vertriebenen Guelfen zu Hugoni von Balzo aus Provence, dem Seneschall des Königs Roberts, ihre Zuflucht, welcher ihnen mit seinen Leuten zu Hilfe kam. Am 4. April entstand zwischen ihnen und den Astigianern ein hitziges Gefechte, wobey die letztern verloren, und auf tausend Gefangene hatten; die Vertriebenen drangen hierauf in Asti ein, und schwuren dem Könige Robert den Eyd der Treue auf eben die Weise, wie es die Alexan-

„contra nos et Imperium commiserunt, in-
„dulgere, seu sententias, poenas, vel banna,
„quas et quae praedicti Rebelles causa Rebel-
„lionis contra nos et Imperium attentare in-
„venerint, relaxare quoquomodo valeat abs-
„que nostra licentia speciali. Nulli ergo
„omnino hominum liceat, hanc paginam no-
„strarum concessionum, inuestiturae, ac con-
„stitutionis infringere, vel ei ausu temerario
„contraire. Si quis autem hoc attentare
„praesumferit, indignationem nostram, et
„poenam mille librarum auri, pro dimidia
„parte Camerae nostrae, et pro reliqua di-
„midia passo iniuriam soluendarum, se no-
„verit incursum. Huius autem rei sunt
„Testes ^f), Venerabilis Balduinus, Treueren-

D 4

„sis

Alexandriner gethan hatten. Conf. CHRONI-
CON ASTENSE cap. 58. Tom. IX. Rer.
Italica.

f) De more veteris acui, vasallos aliquos nobiles
in rebus maioris momenti tamquam testes adhi-
bendi, consule CHRIST. LVB. SCHEIDTS
Historische und Diplomatische Nachricht vom
hohen

„sis Archiepiscopus, Germanus et Princeps
 „noſter cariſſimus, ac Spectabiles et Nobiles
 „Viri Joannes Foreſii, et Fredericus Montis-
 „feretri Comtes; Henricus de Flandria Ma-
 „refſalcus Curiae Imperialis, Consanguineus
 „noſter; Thomas de Septem Fontibus; Nea-
 „poleo de Mangone; Comes Huguicio de
 „Fagiola; Hugo Comes de Buebe; Gottifri-
 „dus de Hohenloch; Tancredus de Mutilia-
 „na, et Binducius de Sancta Flora Comites,
 „et plures alii nobiles fide digni. Datum
 „apud Montem Imperialem 8) in Caſtris su-
 „pra Florentiam, octauo Kalend. Mar-
 „tii, Indictione vndecima, Anno Domini
 „M. CCC.

hohen und niedern Adel in Teutschland, (Han-
 nover 1754.) p. 116. seq. et JOH. FRIEDR.
 JOACHIMS Einleitung zur teutschen Diploma-
 tik, Cap. XII, p. 216.

- g) Vbi Imp. HENRICVS VII. tunc in obſidione
 vrbis Florentiae occupabatur. Aliud diploma,
 iudeum in eaſtris ad Montem Imperialem datum,
 laudat I. I. MASCOVIVS in der Einleitung
 zu den Gesch. des Röm. Teutschen Reichs,
 pag. 105.

„M. CCC. XVII. ^{b)} Regni nostri anno quin-
„to, Imperii vero primo.

Haud facile tamen adfirmauerim, A M A-
DEVM V. re ipsa tunc in possessionem huius
feudi venisse, fructusque beneficij Imperatorii
percepisse. Dubitare enim me iubent ea,
quaec de Comitatu Astensi narrat MVRATO-
RIVS l. c. p. 468. i). Vt cunque sit, nouo be-
neficio,

D 5 neficio,

h) Ita quidem G^VICHENONIUS edidit. Sed cum
HENRICVS VII. iam d. 24. Augusti anni 1313.
aut morte naturali, aut, vt alii volunt, propi-
nato ipsi veneno exspirauerit, (vid. v. OLEN-
SCHLAGER l. c. p. 66.) in aprico est, errorem
hic irrepsisse, et loco anni 1317. annum 1313. re-
ponendum esse. Sic autem Cel. etiam Bü-
SCHINGIUS in der Neuen Erdbeschreibung
P. II. Sect. II. p. 778. minus recte Comitatum
Astensem ann. 1310. domui Sabaudicae cessisse
ait; et quo iure idem Principatum Pedemontii,
ad quem Comitatum Astensem refert, a nexus
feudali plane liberum esse scripsit p. 742. il-
lud ipse viderit.

i) Verba MVRATORII haec sunt: Der König
Robert hatte die Herrschaft der Stadt Aſtī seit
vielen

neficio, et quidem Imp. CAROLI V. domui Sabaudicae Comitatus Astensis cessit, vti tradit PAVL. JOVIVS in *Histor. sui temp. Lib. 34.* (Tom. II. p. 626. edit. quae Venetiis a. 1553. prod.) his verbis: Alienarat rex (*Galliae*) iam pridem animam ab amicitia Sabaudii gravibus iectus offenditionibus. Nam is, tametsi Francisco erat auunculus, uxoris tamen Lusitanae illecebris depravatus, defatigatusque affiduis

vielen Jahren gehabt. Am 26. September des 1339sten Jahres nahm ihm der Marggraf Johann von Montferat dieselbe, veriagte die Sola-ren nebst andern Guelfen, und ließ die Gottua-rier, Rotarier und andere Gibellinen wieder hineinkommen. Die Besatzung des Königs that keine Gegenwehr, weil sie aus Mangel des Solds die Waffen und Pferde verpfändet hatte. Dieser Verlust gereichte Roberten wegen seiner andern Oerter im Piemontesischen zu grossem Schaden, und die Gibellinische Faktion in der Lombardey frohlockte sehr darüber. In der Historie Benvenuti d. S. Giorgio befindet sich das Instrument, worinnen die Einwohner zu Aflì den Margrafen Johannem zu ihrem Herrn annehmen. De aliis ciuitatis Astensis fa-tis idem p. 496. et 610.

assiduis precibus, (haec erat vxoris Caesaris germana soror,) neglecto Gallo se totum ad auctoritatem nutumque victoris Caesaris ita contulerat, ut urbem Astam ab eo sibi dono oblatam accipere non recusaret, filiumque tamquam fidei obsidem in Hispaniam Caesari educandum mitteret; quae tum importune atque impudenter admissa fuisse Galli differebant. Nullum enim Gallo certius erat in Italia patrimonium ipsa vrbe Aſta, quam amplius centum annos sine controuerſia posſedisset. Verum enim Caesar, qui Gallos Italia penitus elec̄tos vlla ad spem reditus in Italia certa sede potiri nollebat, aude expetenti Lusitanae, nec abnuenti viro eius facile concessit, quae vrbs coniuncta inclusaque Subalpinis oppidis Allobrogico regno praeclarum amplitudinis et roboris deus additura videretur ^{k).} Inuenio etiam apud Mo-

SERVM

- k) Qua de re ita ITTERVS de Feudis Imp. p. 248. Comitatum Aſtensem (de quo familiam Sabauidam a Carolo V. olim inuenitam fuisse ex Mercurio Gallico refert Linnaeus T. I. Add. V. 14. 12. p. 915.) et Marchionatum Ceuas eundem Principem ab Imperio in feudum recognoscere, nec ipſo

S E R V M (in der Einleitung z. d. Reichs-Hofraths-Proceß, P. III. p. 52. seq.) in litteris inuestiturae, Duci Sabaudiae a. o. 1632. datis, commemorari, eum inuestitum esse *Ducatus Subaudiae, Chablaisii et Augustae, Vicariatu perpetuo S. Rom. Imp. Marchia in Italia, Principatu Pedemontii, Comitatibus Gebennarum et Gebennensi, Baugiaci, rorondi Montis, Astae et Tendae, Baroniis Vacaudi, Tancigniaci et Gaii, Dominiis Niciae, Bresiae, Vercellarum, Marchionatu Caeue, Oneliae, Macri, Petrae latae, Mentonis, Roccabrunae, Pornassii et Dolceaquaes, una cum vniuersis et singulis rega-*

ipse Cacheranus, celeberrimus quondam Sabaudiae Praeses, diffiteri potuit Conf. 9. num. 39. In Longueruanis, (i. e. Recueil de Pensées, de Discours et de conuerlations de M. l'Abbé de Longuerue, à Berlin. 1754.) p. 280. legi nuper sequentia: Le Comté d'Ast est possédé par le Duc de Savoie, à titre de donation, que lui en fit Charles-Quint, et lui appartient à titre d'hérité, puisqu'il descend d'Isabelle de la Paix, seule restée de la posterité d'Henri II. qui avoit les droits de Valentine de Milan.

regalibus, honoribus, homagiis, gratiis, iuribus, libertatibus et pertinentiis.

In *Inst. Pac. Monaster.* §. 95. de feudis domus Sabaudicae hoc sanctum reperimus: *Caesarea Maiestas decenter requisita concedet Domino Duci Sabaudiae vna cum inuestituræ antiquorum feudorum et statuum, qualem intyrae memoriae Ferdinandus II. Duci Sabaudiae Victori Amadaeo concesserat, inuestitutram quoque locorum, ditionum, statuum, omniumque iurium Montisferrati, cum appertinentiis, quae illi vigore praedicti Tractatus Cherasensis, nec non executionis inde subsecutae decreta et remissa fuerunt, sicuti quoque feudorum nouelli Monfortis, Sinii, Moncherii et Castelletti cum appertinentiis, iuxta tenorem instrumenti acquisitionis, ab eodem Duce Victore Amadaeo factæ sub decimo tertio Octobris anni millesimi sexcentesimi trigesimi quarti, et congruenter concessionibus seu permissionibus, nec non approbationibus Caesareæ Maiestatis, cum confirmatione quoque omnium et quorumcunque priuilegiornm, quae Sabaudiae*

Duci-

Ducibus hacenus indulta fuerunt, quotiescumque a Domino Duce Sabaudiae requirentur et postulabuntur.

Monet porro MOSERVUS l.c. p. 55. anno 1733. feudis, quae Dux Sabaudiae tunc ab Imperio tenebat, naturam feudi coram throno sollemniter accipiendi inditam fuisse¹⁾; in *Capitul. nouiss.* autem *Art. XXVI. §. 1.* leguntur sequentia: Wir sollen und wollen auch dem König von Sardinien, als Herzogen von Savoyen, durch die Person seines rechtmässigen Gewalthabers die Belehnung des Herzogthums Montferrat sowohl, als aller seiner übrigen Staaten und Landen, welche er von dem heiligen Reich zu Lehen träget, sobald Wir nach angetretener Unserer Käyserlichen Regierung hierinn gebührend ersuchet und angelanget werden, denen Reichs-Constitutionen und Lehen-Rechten,

1) Responsum super domus Sabaudiae Feudis Imp. legitur in COCEBII *Deduct.* Tom. I. p. 894.

ten, insonderheit der letzten inuestitur
de anno 1755. gemäss, ertheilen und er-
folgen lassen.

Quodsi tandem quaeritur, an etiamnum
feudi exempla fiduciarii supersint, mihi
quidem haec quaestio haudquaquam ne-
ganda esse videtur. Ego sane haud du-
bito, si cui curiarum nonnullarum clien-
telarium scrinia scrutandi potestas esset,
eum plura eiusmodi feudorum exempla
reperturum esse. Etiamsi autem nulla su-
peressent, tam vtile tamen dominis prae-
fertim directis hoc institutum mihi vide-
tur, ut vel hanc ob causam iuris feuda-
lis interpretibus in memoriam reuocari
mereatur, quo scilicet rem fere oblitera-
tam in usum denuo deducere possint. Ut-
ilitatem eius iam perspexit S C H I L T E-
R V S l. c. ea maxime de causa, quod cum
vasallo quidem feudum refutare liceat, do-
mino autem ex praescripto regulae haud
fas sit vasallagio renunciare, feudumque
vasallo

vasallo adimere ^{m)}), consultum hac ratione eatur dominis, ut feudi reuocandi potestatem, quae sic quidem praeter naturam, nequaquam tamen contra essentiam feudorum inducitur, habeant ⁿ⁾.

Cete-

m) De feudo sine culpa non amittendo ita I. Feud.

21. Sancimus, ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat, si ex culpis iis vel causis conuidius non fuerit, quas milites usi sunt nominare, quando fidelitatem faciunt dominis suis.

*n) Evidem scio, haud deesse, quibus omnia instituta feudalia sordeant, quoruimque numerum auxit nuper scriptor libri gallici, qui sub titulo *Les inconvenients des droits féodaux* (derer Lehnbeschwerden) Parisis anno proxime superiori prodiit. Sed dudum institutorum feudalium, simulque iuris feudalis dignitatem atque praestantiam vindicauit Jos. AVR. DE JANVARIO in elegante *de iure feudali* Oratione, in Lyceo Neapolitano 1754. habita, quam, utpote in his terris rarissimam, huic scriptioni subiicere placuit.*

Ceterum, et si in *Instr. Pac. Osnabr. Art. V. §. 26.* leguntur haec: *Quod ad oppignorationes Imperiales attinet, cum in Capitulatione Caesarea dispositum reperiatur, quod electus Romanorum Imperator Electoribus, Principibus, ceterisque statibus immediatis Imperii eiusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in earundem tranquilla et quieta possessione defendere ac manutinere debeat, conuentum est, banc dispositionem, donec consensu Electorum, Principum et statuum aliter statutum fuerit, obseruandam esse, nec non in Capitul. nouiss. Art. X. §. 4. inuictissimus Imperator promisit, die Churfürsten, Fürsten und Stände bey denen ihnen verschriebenen und inhabenden Reichs-Pfandschaften nach Maassgebung des Instrumenti Pacis ohne Wiederlösung und Wiederrufung zu schützen, und ruhig dabey bis auf anderweite Vergleichung zwischen denen Römischen Käyseren und Reichs-Ständen bleiben zu lassen; hoc tamen, ni fallor, ad feuda fiduciaria propter diuersam eorum et pignoratitiorum natu-ram, si quaestio incideret, extendendum haud esset, quemadmodum illud etiam ad res a*

E

stati-

statibus Imperii sibi inuicem oppignoratas haud pertinet, vti ex verbis *Instr. Pac. d. Art. V. §. 27.* *Quae vero bona Status Imperii sibi inuicem pignoris iure ante hominis memoriam obligauerunt, in iis relutioni aliter locus non detur, nisi possessorum exceptio-nes et merita causarum sufficienter examinen-tur,* satis appetet.



JOSE-

JOSEPHI AVRELII DE JANVARIO

REGII CONSILIARII

JURIS FEUDALIS

ANTECESSORIS

DE

JURE FEUDALI

ORATIO

IN PUBLICO NEAPOLITANO LYCEO

HABITA

VI. IDVS JANVARIAS

ANN. MDCCCLIV.

E 2

DE
JVRE FEVDALI
ORATIO

Rerum humanarum longa, et tot tantis-
que euentibus inuoluta series quam-
quam eo semper conspirare visa fuerit,
ut numquam societatis vinculum, quo sur-
gunt, adolescunt, perficiuntur ciuitates, a
forti nexu suo dissolueretur; veteribus tamen
non raro extinctis, ac nouis inductis mori-
bus, prout aspera aut mitis locorum indoles,
facilis aut seuera animorum inclinatio, fer-
vens aut remissus sapientiae amor tulit, na-
tionum studia, et regnorum fortunam, ad va-
riam effingendam colendamque viuendi dis-
ciplinam reuocauit. Assyrii, Medi, Persae,
Aegyptii abstrusioribus mysteriis, Religionis
metu obuallatis, inclarescere, et gentes suas
his secretis artibus moderari curauerunt.
Graeci ab intimis Philosophiae penetralibus,

E 3

quorum

quorum e finu, sub dulci etiam fabularum lenocinio, in vulgi pectus praecepta excurrebant, gloriae patrimonium sibi quaerere contenterunt. Romani, ad maiora nati, ea triumphali aequitatis norma, qua non ad captiuitatem subeundam cogebant, sed ad recuperandam humanitatem deuictas vrbes molliebant; eaque animi magnitudine, qua solebant parcere subiectis et debellare superbos, totius pene terrarum Orbis dominationem feliciter sunt assequuti. Sed vno quodam spiritu, atque vna mentis contentione, etiam cum ad barbariem deflexit posterior aetas, amplificandi nominis cupido populos, quamuis rudes, et doctrinarum cultu aut nihil aut parum ex-politos, in antiquitatis aemulationem inuasit. Decessit quidem nitor ille ac elegantia, qua suo decorata lumine effulgit Sapientia; sed non elanguit omnino: immo robustior potius sub duro cortice latuit, et maiorem vim pallido quodam aspectu explicare visa est, ita sane, vt quod venustati detraxit corruptus ad eruditionem palatus, addiderit solidae doctrinae inclinata ad seueritatem industria. Quam obrem illud verum non est, inuentionis laudem

dem vnice veteribus datam, posteris solam
imitandi facultatem. Sua non defuit singulis
tempestatibus, non sine plausu recepta, noua-
rum rerum excogitatio: nec semper animos
torquet ac dilaniat praeteritorum temporum
inuidia; cum illos foueat quandoque extollat-
que recens repertarum vtilitatum felix super-
bia. Itaque confepulta Orientalium potentia,
in solitudinem versa Graecorum tellure, de-
leta Romani imperii maiestate, et veluti muta-
ta totius mundi facie; nouae inuentae cogi-
tandi imagines, nouae constitutae viuendi re-
gulae; quas ad externas repellendas iniurias,
ad internam fouendam pacem, in tutelam
suam tot regna ac prouinciae suscepérunt: iis
praecipue seculis, cum populi, rusticitate mo-
rum potius, quam commercii et societatis iure
cogniti, e patriis sedibus emersi, aliisque quae-
rendis dominiis accensi, arma viétricesque
corias, per Italiam praesertim, hoc nempe
amoenissimum voluptatis ac abundantiae do-
miciolum, circumtulerunt. Tunc Feuda in-
stituta sunt, quasi opportuna captandae bene-
volentiae, auxiliique parandi instrumenta. Ex
his noua in lucem prodiit Jurisprudentia, non

hispida ac ferox; sed mitis ac decora, tantisque rationis aequitatisque adiumentis ornata, ut, quae fuit apud Romanos hereditaria quedam et plena nobilitatis Facultas, licet nouae huic in doctrinarum caligine natae Jurisprudentiae auitos fasces non submittat, laudum tamen suarum participem admittere, nisi forte etiam aduersariam pati, coacta sit. Quapropter non immerito conqueritur Jacobus Cuiacius, eosque abnormis depravatique iudicii accusat ac damnat, qui ceteras iuris partes se tenere non sine fastu profitentur, hanc quasi barbaram, atque exotica veste praecinctam, non sine stomacho reiiciunt. Quod adeo ipsi visum est indignum, ut hoc e pudentia fronte improbum dedecus elegantissimae huic matronae auertere studuerit; editis ea, qua pollebat, diligentia et acumine, in libros Feudales absolutissimis Commentariis. Egregiam huius Scientiae dignitatem, quounque aeuo imperaturam, in hoc ipso mei explendi muneri vestibulo, et si non quantum res postulat, (postularet enim multum) quantum tamen meae finunt vires, nullis eximiis dotibus praeditae, nec leuiter redundantibus clamosi

Fori

Fori negotiis occupatae, in hac florentissima
clarissimorum Virorum corona, adumbrare
potius, quam fuse recensere aggredior.

Interea ad te, Carole, Rex sapientissime,
publicae nostrae tranquillitatis custos ac mo-
derator, bonarumque artium vindex praesen-
tissime ac tutor, priusquam ulterius procedat
oratio, praestat me conuertere; et gratias tibi
agere quam plurimas pro demandata mihi Ju-
ris Feudalis docendi prouincia; non merito
quidem meo, quod sentio quam sit exiguum;
sed singulari beneficentia tua, de qua licet mul-
ta praedicauerim, parcus semper, numquam
nimius videbor: atque eas ago gratias, quas
non verba explicent, sed quas animus conci-
piat. Certior quippe sum, verba desiderio
paria mihi deesse, animum immenso obsequio
non carere; et, ut ab humanitate tua sibi ve-
niam expectat sermonis mei pauperies, ita ab
indolis tuae magnitudine, quod finu foueo,
grati animi pignus, tuam sibi pollicetur re-
giam comitatem. Vnum tamen hic nequa-
quam praeteribo, me de hoc collato honore ea
potissimum de causa gloriari, quod abs te,

E 5 optimo

optimo Principe, veniat; cui supra ceteros, quos iactat antiquitas, quos nostra aetas recenset, felicitas, in Sapientiae gremio reposita, cordi est. Satis enim superque perspectum habes, sine Scientiarum praefidio, sine interioribus litteris, maxima Reipublicae pernicie ignorare populos, quid Principi, cui parent, quid Patriae, in qua viuunt, quid debeant sibi ipsis, quos non ad priuata commoda, sed ad communia fouenda officia, et suis igniculis natura et institutis suis ratio societatis inuitat. Sub tuo igitur faustissimo numine grandiorem animam induo, et forti meae tutissime spondeo, ut, qui humilis langueret in me spiritus, te duce et auspice, altius adsurgat, et sublimia, non vano tentamine, meditari ac suscipere conetur. Quod Deus bene vertat, Auditores ornatissimi, linguis atque animis fauete.

De Juris Feudalis praestantia verba facturus illud in primis, quod ad finem spectat, illustrem quidem ac generosum, vnde Feuda (vox antiquitati incognita, et tantis interpretum coniecturis dilaniata potius, quam explicata)

plicata) in usum venerint, silentio non inuol-
vam. Irruentibus enim per alienos agros ex-
teris nationibus, pacemque ac otium nostra-
rum praesertim regionum peruertentibus; vis
atque audacia, operum administra, pectore
conceptus dominandi furor, ut omnis posita
in armis acquirendi, seu potius occupandi ra-
tio, eorum temporum sortem ac cursum, in
maxima hominum perturbatione miscebant.
Principes, ut, quae sine iure inuaserant, non
sine valido patrocinio custodirent, quae sine
pudore inhiabant, non sine facilitate assequen-
tentur, quamque in alios nulla de causa infe-
rebant iniuriam, a se ipsis caute auerterent,
ope, confilio, fide, ac constantia eorum, quos
suis legibus submiserant, indigebant. Coe-
perunt proinde victoriae ferociam mansuetu-
dine emendare, usurpationis odium munifi-
centia lenire, et tristem propriae infelicitatis
praeconceptam a subditis opinionem utilibus
institutis extinguere. Hisce argumentis ea,
quae ex sua indole parum tuta est, firmabatur
ambitio; quiique iniustae direptionis compo-
tes sequitur plerumque, amittendi timor, in
spem conuertebatur securae possessionis. Col-
latis

latis enim ab exercituum ductoribus, nouarumque gentium dominis in veteres urbium habitatores beneficiis (quo nomine Feuda prius appellabantur) illos in expeditionibus itinerum comites, in obsidionibus, militarium laborum socios, in praeliis, seu periculi seu victoriae consortes sibi adiungebant. Donis inuenient humana pectora obstringuntur: et hac mutua ac amabili necessitudine, neque fides sine animi turpitudine deseritur neque obsequium sine improbitatis vitio relinquitur, neque seruitium sine perduellionis nota recusatur. Proutidas hasce concordiae inter dominos ac vasallos seruandae constitutiones, aut praeteritarum aetatum politici ignorarunt, aut opportunis legibus, quae ex usibus Feudalibus manant, obfirmare praetermisserunt. Posterioribus annis haec ampla officiorum messis, et mystica quedam solenniter pacti foederis institutio destinabatur, ut tutius Principes regnarent, alacriter subditi seruirent, minus insidiis, magis amori pateret locus, quodque imperio et auctoritate, parum ad conciliandos animos idoneis, difficilis poterat comparari, honorum pretio, tamquam ad firmans-

firmandam fidem incitamento, facilius comparabatur.

Accessit, quod est huismodi foederis artius vinculum, Iusurandum, maximum inconstantiae ac perfidiae frenum; ut, quae infusa est homini, naturae stimulis, erga benemerentes vehemens referenda gratiae cupiditas, Religionis sacro quodam horrore, quo vel ipsummet indomitum scelus inuitio rubore suffunditur, vasallos, saepe in aestuante affectuum tumultu nutantes, in firmorem domini securitatem adigeret ac retineret. Hoc ferme pacto simul coeunt Pudor et Pietas: ille honestati obsequium non negat: haec Deo reverentiam non subripit: et vtroque hoc nexu coeretur tum inter homines inuercundia, quae infamiae poenam subit, tum erga supremum Numen temeritas, quae grauiorem timet ac expectat vindictam. Quis igitur est, qui non videat, qui non profiteatur, quam sapienter isthaec omnia excogitata sint, quam utiliter accepta, quam constanter in commune bonum retenta?

Praeluferat quidem nescio quae apud Romanos in Clientelis, quas Romulus instituerat,
postea

postea in Colonis glebae adscriptis, in Praediis demum ab hoste captis, militiaeque ab Alexandro Seuero, et Constantino Magno distributis, Feudorum imago: sed leuiter, et veluti e longinquo adumbrabatur Feudalis disciplina, magnificentior in posterum futura, et honorum copia, qua oblectamur, et titulorum splendore, quo innotescimus, et iurisdictionis exercitio, quo dominamur, et decora publicae administrationis societate, qua nobis aliisque prospicimus. Quibus praefidiis nusquam alias cognita, nusquam tanto lumine praedita, emersit legum materies, quae solidorem meruerit, sibique comparauerit existimationem.

Porro, ut hac in re sua constaret norma, suoque ordine Feudalis doctrina regeretur, multa sagaciter et acute constituta sunt. Feudorum diuisio eximiam Principum curam, interioremque quamdam prudentiam explicat praecipue ac commendat. Alia enim Feuda precario data; alia annua; alia intra vitae curriculum seu dantis, seu recipientis, circumscripta; alia perpetua; alia noua; alia antiqua, et, vti dicunt, paterna; quaedam nobilia; quaedam

dam rustica; nonnulla in re immobili, quae propria sunt; nonnulla in praestationibus, quae Feudalem naturam imitantur, constituta: Item, alia diuidua, ut Longobardis placuit; alia indiuidua, ut Francis visum fuit; tum quae ex pacto et prouidentia, quae hereditaria, quaeque mixta appellantur. Singula suis non carent rationum momentis; leges habent peculiares, quibus gubernantur, atque ita diriguntur, ut, quamuis in se ipsis diuersa, vnum tamen corpus efficere, atque uno spiritu animari videantur. Hic enim varius Feudorum apparatus remunerandi vicem grauiter sustinet ac moderatur, pro varia personarum conditioне, pro diuerso temporum fato, pro servitiis aut leuiter aut magnifice praestitis, aut tardius aut celerius exhibitis, aut minus aut magis prospere impletis. Habet quidem munificentia suos gradus, a quibus discedere, inconsulti animi vitium est, intra quos contineri, mentis bene compositae laus est eximia: namque ea in conferendis praemiis commendatur industria, quae concedentium exacta lance regat arbitrium, et meritum accipientium iusta mercede compenset: ita sane, ut nihil detrimenti

menti capiat aut Principis liberalitas intemperantia largitionis, aut subditorum fides beneficij tenuitate, aut Republicae status ipsius munificentiae abusu.

Nec sat erat, Feuda in hunc varium censem referre ac partiri: altiori opus erat consilio, ut in successionibus noua constitueretur forma, quae, quantum a communi iure distat, tantum ad splendidiorem aequitatem accedit: ea namque, quae romanis legibus longe latè que spatiatur de re sua disponendi libertas, non in speciem miserae seruitutis, sed in saluberrimam vtilitatis tutelam Feudatariis inhibetur. Definita quippe est intra familiam successio, quae sanguine coniunctos inuitat, extraneos repellit; domesticum perpetuat decus; improvidam cohibet facilitatem, alienae non fauet aucupationi; validiorem plerumque sexum vnicce admittit; aliquando debiliorem non excludit; vniuersè proximum gradum remotiori anteponit; non raro, inuerso graduum ordine, genio seruandae diutius agnationis indulget, ac foeminis proximioribus masculos praefert remotiores. Hac paratissima via effectum est, vt beneficentiae memoria, qua quis-

quisque ad obsequium excitatur ac impellitur, ab ipsis honorificentissimis consanguineorum laribus, nocuo inuisoque discessu, egredi nequeat, quotidie, gratissimo ac triumphali aspectu, ante oculos obuersetur, grandem pretiosamque nobilitatis dotem non comminuat, augeat, diuturni temporis priuilegio, acceptam a maioribus, quam illi sudoribus compararunt, amplam splendidamque fortunam.

Verum enim vero longius excurreret sermo, et legitimos pudicae orationis fines vio-
laret, si cuncta, quae ad huius scientiae digni-
tatem ostendendam conferri possent, recense-
rem. Neminem quippe fugit (vt paucis mul-
ta colligam) quanta sit in prohibendis aliena-
tionibus, non sine domini incolumitate ac
vasallorum compendio, mira quaedam cura ac
singularis; quanta in praestandis assensibus,
iuxta necessitatem, benignitas, nec extra de-
corem repulsa; quanta in contractibus ineun-
dis castitas ac religio; quanta in exercendis iu-
diciis sine fuso grauitas, sine quauis pernicie
indulgentia; quanta in purgandis criminibus
non inuita seueritas, non praeceps consilium;
quanta nouarum legum cum antiquis innocens

F

discor-

discordia, cum ratione admirabilis conuenientia; quanta diuersorum ordinum conspiratio, priuatis publicisque commodis eo magis opportuna, quo magis in ipsa varietate partes inter se dissimiles in vnum colligit ac perfecte componit.

Haec omnia, quae Feudalis Juris regnum dilatarunt, sua in origine, non ex promulgatis Principum legibus manarunt: quae, vti futuram praeuident vtilitatem, eamque sedulo sperant; non tamen semper, inopinato multarum causarum concursu, vt vellent, pro voto assequuntur: sed ex vsu ac consuetudine, prono quidem alueo, nulloque impulsu pro venerunt. Vsus autem ac consuetudo, veteris disciplinae custodes, occultoque pollentes imperio, experientiam, diuturnis moribus probatam, et cuiusuis obstaculi victricem, suaviter firmant, ac valide tuentur; receptamque vtilitatis opinionem, quae non falso nascitur, nec temere sustinetur, perenni successione in omne aeuum producunt. Hinc non alia huic Juri apposita est epigraphe, quam Consuetudines Feudorum: hasque non publica in me-
diū

dium tulit auctoritas, ut maiorem obseruan-
tiae vim adderet; sed priuata collegit indu-
stria, ut posteritati, veluti conscripta talium
institutionum historia, consuleret. Nonnulli
hac in re elaborarunt ante Cuiacium. Is ve-
ro, Interpretum Princeps, qui quantum illu-
strandae Jurisprudentiae contulit ingenii, tan-
tum in componendo in suas partes iure adhi-
buit diligentiae, rem omnem Feudalem quin-
que libris conclusit: in tribus prioribus, quae
Gerardus Niger, ac Obertus de Orto con-
scripsere; in quarto, quae a variis antiquis Au-
ctoribus tradita sunt; in postremo, qui opus
coronat, Imperatorum Constitutiones, quae
ad Feuda pertinent, lectissimo quodam fasci-
culo, nitidissime contexuit. Romanam imi-
tati sunt Collectores vmbratilem, vt ita di-
cam, ac domesticam diligentiam: priuatim
enim, post exactos Reges, in vnum volumen
contulit illorum iura Sex. Papyrius; ex for-
mulis et legis actionibus, artificio veterum
Jurisconsultorum conditis, eductisque e sacra-
rio pontificum, librum edidit Flavius Scriba:
Imperatorum ab Adriano vsque ad Valeria-
num et Gallienum sanctiones, antea vagas at-

que confusas, in peculiarem Codicem Gregorius coniecit: hunc alter exceptit, ab Hermogeniano exaratus, qui posteriorum imperatorum usque ad Constantimum euulgatas leges complexus est. Id quoque seruatum in graecis ac latinis Canonum Collectionibus, in quibus viri ecclesiastica doctrina egregii, ex suscepito per se ipsos instituto, in unum corpus Ius sacrum redigere studuerunt. Maior tamen, mea quidem sententia, rei Feudalis Collectorē manet gloria: ut maior ab ipsis adhibita diligentia, maius a nobis acceptum beneficium. Ceteri ius certum, ius cognitum, ius constans simul componere, curae suae dederunt: Nostri ius non scriptum, ius varium, ius pene obscurum; cuius, si hoc ipsis desuisset nobile propositum, peritura in posterum memoria, vel ita tenebris misere obruta ad nos suisset peruentura, ut vanis prorsus hariolationibus, implicatisque mysteriis campus pataret latissimus, singulorum fluctuaret opinio; neque ea, quae foret modesta, difficultates fugeret, neque audax careret patrocino.

Sed non in hisce tantum, quos ab antiquitate accepimus, libris tota concluditur Feudalis

dalis Jurisprudentia. Europae Principes, qui Fendorum instituta adoptarunt, vti ex ipso regnandi ingenio, atque ex iis, quae quotidie suboriuntur, morum conuersionibus, nouis sese explicabat vtilitatis aspectus, saepe praestantiori dote auctis, saepe in meliorem formam redactis antiquis legibus, hanc Facultatem suis constitutionibus ditarunt. Illius tamen confinia in hoc Neapolitano Regno, et sub varia nostrorum Regum, siue hic, siue alibi degentium, dominatione, supra gentes alias quam maxime amplificarunt tot Constitutiones, Gratiae, Capitula, Priuilegia, ac Pragmaticae; quibus haec Jurisprudentia, nescio cuius abditae castigataeque Sapientiae auxiliariis copiis communita, ad eum dignitatis apicem peruenit, vt nullibi magnificentius sibi paraverit domicilium, nullibi doctiores exceperit alumnos, nullibi diuturniorem Academiae ac Foro conciliauerit nominis celebritatem. Quia de re merito laetamur; et amplissimo honori nostro tribuimus, magnis initiiis ortam hanc Facultatem, maioribus additamentis, beatiori quodam fato nostro, per nos ipsos fuisse non

F 3

fine

fine summo studio excultam, nec sine ingenti gloria propagatam.

Postquam isthaec cursim delibauimus, illud addi locus flagitat, ut immensum, quod Juri Feudali cumulatum est decus ex tanta Scriptorum copia, qui in eius interpretandis legibus operam nauarunt egregiam, pro coronide sub oculos ponamus. Et sane nullum est in unaquaque scientia luculentius praestantiae argumentum, quam impigra ac frequens ingeniorum contentio in eius reserandis arcanis, ut ratio elueat; in componendis dissidiis, ut pateat concordia; in definiendis regulis, ut vitetur fallacia; in similibus comparandis, ut rerum inter se constet nexus; it deducendis consequentibus, ut marte suo liberum spatietur ingenium: quod sperandum non foret, nisi animos ipsius scientiae non ingrata necessitas impelleret, cognita utilitas alliceret, unanimis consensus, quique ex hoc, efficax magnorum operum impulsor, plausus suboritur, abunde confirmaret. Nouae enim doctrinae, quae suo labore destituantur, mentita que facie imponunt, si primum fatuo quodam impulsu

impulsu arripiantur, continuo deseruntur; veluti fugax, quod caelo sereno accenditur, aestuum lumen, simul ac repente infirmoque splendore oculos deludit potius, quam excitat, statim praeceps dilabitur, et cum nocturnis umbris, sua breui luce orbatum, miscetur. Sed Jus Feudale, ubi apparuit, sine mora aude exceptum est, sine cessatione serio perpensum, atque egregie illustratum; neque unquam, tot reuolentibus annis, in tanta rerum vicissitudine, sub tam dissimili Regnantium arbitrio, diminutam vident doluitque suam dignitatem; immo a tot tantisque clarissimorum virorum eximiis monumentis, quae hactenus edita sunt, quaeque non indiligens nepotum cura in lucem proferet, immortalē fibi spondet vitam, et progressus expectat ampliores.

Quod si legum romanarum maiestatem famaque meritorum ac extollimus ex hoc ipso, quod summi viri, penitiori doctrina imbuti, sive in XII. Tabularum iure interpretando, sive in explicando Edicto perpetuo, sive in aliis subinde enatis legibus enodandis, mentis diu-

tias vberrime effudere: quid est, quod ex hac parte suam non agnoscat egregiam ingentemque fortē, ac non innocue superbiat Feudalis Disciplina; quae a bene auspicatis suorum natalium primordiis magnanimos tot doctissimorum Scriptorum conatus ad se, tanquam ad diuitem nouae Jurisprudentiae penum, reuocauit? Inuidemus profecto romanis fastis, suos iactare Coruncanos, Aelios, Atilios, Cotones, Sulpicios, qui magnam fibi gloriam, florente adhuc Republica, adepti sunt; quosque insequens aetas sub imperii fastigio numerat quamplures, Scaeuelas, Papiianos, Paullos, Vopianos. Sed hanc seu reparant omnino, seu saltem valde imminuunt per pectora nostra serpentem inuidiam insignes in hoc argumento Prudentes, qui varia quidem fortuna, sed eadem semper sedulitate, pari semper acumine, Jus Feudale tractarunt.

Dum enim inculta adhuc, sed non plane inanis ac contemnenda imperabat doctrina, magna Scriptorum turba huic operi manus non sine merita laude admouit; inter quos eminet in conficiendis Glossis accurata Jacobi

Colum-

Columbini diligentia, in compingendis Summis dilucida Jacobi Ardizonii breuitas; in exarandis Commentariis subtilitas et argumentorum copia Jacobi de Beluisio; in solidioribus firmandis Opinionibus auctoritas Baldi; qui postquam Jus Ciuale annos septem supra quadraginta fuerat professus, quasi ad sanctiora limina, ingrauescente senio, accedens, Feudalibus controuersiis enucleandis postremos dicavit labores, diuturno legalis doctrinae usu, et subacto longaeuae aetatis iudicio, praestantes. Felicissima postea tempestate, sublato barbariae velo, politioribus litteris postlimino restitutis, accensa historiae face, et communis plausu exceptis graecae et latinae linguae deliciis, quando e squalido luridoque, quem prius induerat, augustiorem habitum, ac matronalem formam accepit Sapientia, Feudalis quoque Jurisprudentiae fatum, non leui, qua inuoluebatur, fugata caligine, nouam puriorumque lucem explicauit, et decentiori vultu in medium prodiit. In Gallia enim, inclyta illa cultioris litteraturae sede, ubi Jurisconsultorum familia singulare genti suae in Jure romano ornamentum addidit, non dignitati

F 5

sunt

sunt plurimi, qui magna fama inclarescunt, praesertim Cuiacius, Duarenus, Hotomannus, Eguinarius Bro, nomina aeternitati consecrata, rerum Feudalium cognitionem, ab antiquis fôrdibus manumissam, viriliter promovere, et latissime diffundere. In Germania etiam, eruditis laboribus assidue exercita ac penitus indurata, perenne Feudali Disciplinae decus attulere Vulteius, Giphanius, Strunius, Thomasius, quique Legum studio Philosophiam egregie coniunxit, Christianus Volfius.

Apud nos, in hac pulcherrima totius Itiae regione, sub vtroque doctrinae apparatu, sive intra barbariem inuoluto, sive elegantiis referto, complures Juris Feudalis periti, alii natalium splendore, alii Magistratus dignitate, alii munere huiusmet Juris in hoc Regio Gymnasio docendi, alii sublimi omnium harum dotium coniunctione, faustissimam annalium nostrorum memoriam cohonestantes; diutinis vigiliis, summo conamine, et admirabili successu, hanc Disciplinam, exterorum cura sapienter pertractatam, luculentius explicare, vberiusque extendere sagerunt. En-

Andreas

Andreas de Isernia, huius Jurisprudentiae fax, interpres consummatissimus; vtinam aequa felix vitae exitu, qualis fuerat in cursu: vixerat enim, vti cunctis dignus, ita cunctorum particeps honorum; scelesta tamen manu interfectus supremae necessitati miserrime paruit. En Paris de Puteo, Alfonsi Regis a consiliis, Ferdinandi eius filii praeceptor, multarum urbium ad colligendas Sapientiae opes, peregrinatione, tantisque editis operibus immortalitati dicatus. En Antonius de Alessandro, nostri Sac. Reg. Conf. Praeses; Matthaeus de Afflictis, benignorem in iuuenta, quam senio expertus ludentis fortunae aspectum; Scipio Capycius, non minus legali, quam poetica laurea comas praecinctus; quique grauissimas in hisce excolendis studiis curas locarunt, aliis neque ingenio neque sedulitate impares, Bartholomaeus Camerarius, et Marinus Freccia. Quid de iis dicam, qui recentiori aeuo floruerunt? Inter quos reticendi non sunt Josephus de Rosa, viuido mentis acumine, et firma arguendi contentione eximius, Caietanus Ageta, multigena nostri Regni notionem supellectile praeclarus; quique instar omnium est,

Fran-

Franciscus de Andreis. Is quidem litteras hoc patrō solo iamdiu consēpultas, e tumulo, vbi lacrimabiles iacebant, in vitam reuocauit; electamque in scribendo eruditionem, ac robustam in orando eloquentiam, antea exules, et aude in hoc dulcissimo Sirenum hospitio placidum aeternumque optantes contubernium, bono omne excepit, pristinaeque amplitudini restituit. In hunc quoque ordinem referendi Petrus de Fusco, Seraphinus Biscardus, Nicolaus Carauita, Caietanus Argentius, non multis abhinc annis communi desiderio abrepti; qui in nostrorum Procerūm Feudalibus causis tuendis, nihil, quod ad nitorem, nihil, quod ad robur, nihil, quod, ad noua excogitanda rationum momenta, et inueniri et coniungi posset, in abstrusioribus quibusque huius Facultatis quaestionibus, praetermisserunt; ita profecto, ut illorum fama, laudum soecunda, inter Curiae subsellia, in cordatorum hominum congressibus, per proximas remotasque gentes, magnifice resonet et peruagetur; tamdiu prospere duratura, quamdiu suis bonis Artibus honos, suum rei Feudali decus constabit.

Nunc

Nunc fortasse superest, ut eos, qui hac aetate ad confirmandam Ciuitatis nostrae magnitudinem, ad excitandam quarumcunque dominatricium Nationum admirationem, nobiscum vna viuunt, inque supremis Tribunibus, aut nobilissimo Aduocationis instituto, aut tagato iudicandi Ministerio, facundiae doctrinaeque specimen quotidie exhibent, (quorum partem potissimum in hisce augustissimis aedibus summa humanitate adstantem, et, non sine redundante animi mei voluptate, dicta mea benigne excipientem, circumtueor) pro ipsorum merito commemorem ac extollam. Sed verecundiae ratio, quae laudes, in os conspectumque eorum proferendas, respuit; temporis excursus, qui longiorem, ut oportet, non patitur moram; dicentis imbecillitas, quae non ornaret, sed imminueret commendationem, cogunt me ab hoc proposito abstinere. Ceterum, in obsequium cedat ipsum, quo vtor inuitus, silentium; et saltem, quomodo hi forent laudandi, ipsa mea palam faciat, quam ingenue profiteor, debitae contexendae laudationis impotentia. Sed ut vela tandem Orationis meae contraham, verbo

con-

concludam: Ex tot in humana societate institutis Facultatibus hanc Feudalem prae sua dignitatis praefstantia nulli cedere; multis ob Reipublicae utilitatem praeesse; nusquam, nisi collapsis communis boni fundamentis, posse extingui. Eia igitur, bonaे spei Adolescentes, hoc fortunatissimo seculo nati, sub hoc mitissimo caelo enutriti, virtuti propositis a tanto Principe, quo regimur, praemiis allecti, in hanc, quoouis laudum cumulo maiorem, suoque merito abunde dotatam, Juris Feudalis disciplinam, feruido assiduoque nisu incubite. Quanti ea sit habenda, ex ipsius argumenti maiestate, ex tam grandi belli ac pacis praefidio, ex haç ipsa, vt antiquus mos obtinet, togati Viri ad hanc exornandam provinciam destinatione perpendite. Quantum ad me, vt ingenuus huic doctrinae redeat honos, nec fucatus ac meritricius triumphet apparatus, pudori ducam, per fuitiles quasdam concertationes, aut inuolutas disputationum ambages excurrere; nudas et leporis inopes notiones tradere; enerues languidasque Originum Feudalium coniecturas, a nigerulis magno pretio venditas, consectari; supersti-

perstitiones putidasque nouarum vocum, quae
e puro latini sermonis fonte longe deflectunt,
etymologias exponere; ne inter seria videar
acute somniare; et in speciem lusus eru-
dita deliria iuuentuti obtrudere. Praestat po-
tius, non sine decore commentitias quasdam
nescire opiniones, quam per summam tem-
poris iacturam poenitentiae ac doloris sociam,
inaniis onerari; et minus, communi sapien-
tum calculo, nocet rerum ignorantia, quam
confusa illarum cognitio. Juuabit tamen, re-
trusa huius Facultatis penetralia adire, arca-
nam inquirere doctrinam, succo ac sanguine
plenam comparare utilitatem. Si quid ingenio
meo atque acuminis deerit; vigilantiae et affi-
ditati profecto deerit nihil. Hae tantum in
me sitae sunt; nec culpa carebo, si has des-
eram. Illa non item. Quo fit, vt si laus absit,
venia tamen non negetur. Vos interea effi-
cite, vt respondeat curis ac votis meis diligen-
tia vestra, et maximus ille, qui in vobis resi-
det, conatus; cui illud vnicce difficile est,
quod aggredi nolit; ardua quaeque facilia, dum-
modo aggrediatur. Excitet Praeceptoris ani-
mum, et vires augeat Auditorum alacritas.

Mutuo

Mutuo foedere vtrimeque labor nobilitetur:
meus in docendo, futurus vestro profectu non
inglorius; vester in addiscendo, pro mea ex-
pectatione a cunctis ciuium Ordinibus com-
mendandus; atque ea vos splendida honoris
flamma accensos volo, quae tales ac tantos,
non vulgi opinione, qua vel falsa virtus ex-
tollitur, sed sapientum iudicio, quo constans
meritum probatur, vos in hac ornatissima
Ciuitate reddat, vt quae sitam a Maioribus
vestris in hac Scientia famam vos superasse,
nemo non videat, vestram, continentis stu-
diorum cursu quaerendam, aut vincere, aut
saltem aequare, posteri desperent.



VD
19

KL ZE3


ULB Halle
007 401 140

3



W

B.I.G.



IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNI

ANTECESSOR. LIPSIENS

DE

FEVDO FIDVCIARIO
D I A T R I B A

A C C E D I T

IOSEPHI AVRELII DE JANVARIO

ICTI NEAPOLITANI

DE

I V R E F E V D A L I
O R A T I O



LIPSIAE

apud IO. CAR. MÜLLERVM

MDCCLXXVII